



Commentarii Rabbi Davidi Kimhi in Haggaevm, Zachariam & Malachiam prophetas

<https://hdl.handle.net/1874/403828>

8
2


COMMENTA- RII RABBI DAVIDIS

KIMHI IN HAGGAEVM,

Zachariam & Malachiam prophete-
tas, ex Hebraico idiomate in
Latinum sermonem
traducti,

INTERPRETE THOMA NELO ANGLO.

QVIBVS AVCTARII LOCO
accessere breues quædam obseruationes in eosdem pro-
phetas, partim ex Hieronymo, partim ex aliis probatæ
fidei authoribus decerpctæ.



PARISIIS,

Apud Martinum Iuuenem, sub insigni D. Christophori,
è regione gymnasij Cameracensium.

1557.

CVM PRIVILEGIO.

LE quatorziesme de Nouembre, mil cinq cens cinquante & six,
Reuerend pere en Dieu messire Ichan du Tillet, Evesque de
S.Brieu , à permis à Martin le Ieune Libraire & Imprimeur,
suyuant le priuilege du Roy , l'impression & vente d vn liure intitulé,
Commentarij Rabbi Dauidis Kimhi in Haggæum , Zachariam & Malachiam
prophetas , ex Hebraïco idiomate in Latinum sermonem traducti , interprete
Thoma Nelo Anglo. Quibus auëtarij loco accessere breues quædam obserua-
tiones in eosdem prophetas , partim ex Hieronymo , partim ex aliis probatae fidei
authoribus decerp̄tae. Auec defense à tous autres d'y attenter ou contre-
uenir, sur les peines contenues es lettres patentes dudit Seigneur, Don-
& deux, Enterinées en Parlement le troisiesme iour de Mars, audit an.

REGINALDO POLO
CARDINALI AMPLISSIMO, ET
Ecclesiæ Romanæ in Anglia Le-
gato, fausta atque fœ-
licia omnia.

*

V I res antehac ab ultima hominum memoria
gestas, & continua multarum actionum huma-
narumuenta mira sibi inuicem similitudine
quasi cognata diligentius paulò atque accura-
tiusexpenderit, haud temere fortassis illud plerosque Gre-
corum persuasissimum sibi habuisse animaduertet, πολλὰ τὰ
τὴν ἀνθρώπων κύνηλόν θνατὸν πάσχειν ὄντα (quemadmodum ipsi
loquuntur) multaque in homine, quem microcosmum ap-
pellarunt, perinde ac in superioris orbis sphæra, si non eadem
prorsus magna saltem ex parte similia, simili ferè tum mo-
do, tum ordine post longa temporum interualla repeti, ac
iteratō geri, quo superioribus olim seculis gesta leguntur.
Vnde adeò quod Aristoteles, Gr̄corum philosophorum fa-
cile princeps, obiter in aetheris etymo explicando 1. Meteororū
protulit, ubi vocabuli illius vim atque significatio-
nē ἀπὸ τῆς θεῖης μᾶλλον, ἢ ἀπὸ τοῦ αἰθέρου. i. à perpetuo potius mo-
tu, quam ardore deductā interpretatur, idem meo quidem
iudicio rerum quoque & actionum humanarum iteratæ
reciprocationi non ineptè posse accommodari videtur.
Quemadmodum enim ille mentes hominum atque opinio-
nes iisdem saepe de rebus easdem subinde in orbem redire ac
repullulascere scribit, idq; non semel aut iterum, sed saepius,
(ut ipsius interim hīc verbis aptissimis utar) ἔχει πολὺ φί-
σσομένος, & δεῖ τὰς, οὐδὲν οὐδένας τὰς αὐτὰς Δόξας ἀνανυλεῖρ γινομένας
ά ij ετοῖς

1. Meteor. 2.

EPISTOLA

et hīc artheōtis, et nō ante agūis, ita et facta nonnunquam factis et eventis evēta respondent, ut quām proximē hac ad illa accedere, ac tantūm non eadē planē esse, nominibus authorum paululum immutatis intelligi possint. nec quicquam hodie sub sole noui occurrat, (pro eo ac sacrę etiam literę testantur, Ecclesiastis 2.) cuius exemplar aliquot iam retrō sēculis elapsum nō praepterierit. Quo fit ut anteacta plerunque futurorum, et elapsa præsentium typi, quasiq; specula quādam minimē obscura merito habeantur. Cuiusmodi vitæ humanae instituendæ exempla quum alias pāsim per uniuersa sacrosancta Biblia occurrant, equidem haud scio, an alia nostrę huic ætati, quam hodie agimus, ad amissim magis quadrent, quām quæ Haggai, Zacharia et Malachiæ prophetarum oraculis edita ac promulgata fure: ubi multa illi quidem præter historię sui temporis ac rei gestæ fidem, præter apertissima religionis nostræ documenta, quanta nescio an in aliis tribus ē minoribus prophetis pāria numero reperiantur, de æde quoque dominica tum temporis instauranda sēpius inculcant: quæ tametsi ad homines eius ætatis propriè spectarint, hodie tamen etiam apud nos, si rectè expendantur, aptissimē locum inuenient: præsertim quum rerum nostrarum non absimilis conditio magnam cum illa ætate affinitatem habere videatur. Ecquid enim hoc aliud est, quod proximis hisce annis summo Opt. Max. beneficio, ac nunquam satis laudatæ reginæ nostræ Mariae (quod ad humanam quidem operam attinet) tuisque pariter fælicissimis in obeunda legatione auspiciis, (Pole illustrissime) domi nostræ in instauranda religione, temporum prius iniuria nescio qua plurimum labefactata, mira dexteritate confectum, totus penè orbis Christianus admiratur,

DEDICATORIA.

admiratur, suspicit, colit, quām ipsissima temporum illorum
 repræsentatio, quibus ædes dominica secundum instaurata
 ibi legitur: nisi q̄ maiorem fortassis hic q̄ illic admirandi an-
 samplerisq; præbeat, & tēporis breuioris, q̄ pro tanta re con-
 scienda suppeditatio, utpote quæ multorū hominum piorum
 spē ipsam atq; expectationem fælicissimo suo successu vicit,
 & ex ea parte quæ primam totius rei aggrediendæ occasio-
 nem auspicatissima regni sui inauguratione suppeditauit
 imparis sexus mutati ratio. Habuit enim ædes illa quā iam
 dixi, quādo instaurabatur, Iehosuam summum sacerdotem,
 & principem virum Zorobabelēm suę instauratiōni ma-
 nibus pedibūsque iunctis utrinque operis diu incumbentes:
 quemadmodum & hæc præsentis ædis nostræ instauratio,
 (quam sedem veræ pietati ac diuino cultui in hominum no-
 stratum animis quasi postliminio restitutam intelligo) ha-
 bet illa quidē ducem & architectum suum, qui Iehosuæ ty-
 pun scientia, moribus, & integritate vitæ quām proximè
 referat, conspicuum omnibus, & archieratici ordinis in
 Anglia lumen: de cuius laudibus tacere malo, q̄ pauca dice-
 re: ut de Carthagine Sallustius olim sibi faciundū putauit.
 Sed principis Zorobabelis loco quum fæminam reginam à
 Deo Opt. Max. tam arduo operi præfectam video, succur-
 rit ilico, quod Paulus Corinthios admonet: quæ alias imbe-
 cillia mundo videbantur. ab eo hic etiā ut olim delecta esse
 quò pudescerent ea quæ erant robusta. succurrit Debora vi. Iudicum 4.
 gloria quam fæmina de deuictis hostibus victrice dextra
 fæminea reportauit. succurrit & Esther optimè de Iudaica Esther. 7.
 patria, suisq; in pristinam dignitatem restituendis apud Af-
 fuerum merita. Cur enim hic non liceat egregiam hanc ve-
 stram operā, & ingens reuocandę pietatis studium cum ædis
 à in illius

EPISTOLA

illius instaurazione anagogicę conferre, cùm diuo Hieronymo templum dominicum toties instaurari videatur, quoties anteactæ vitæ ruinæ nouis (ut inquit ille) virtutum & dignitatis resartiūtur? Hæc enim uero sedes illa Dei est, quam lubetius in homine instauratam videt, q̄ lapideam illam & ligneam materialis olim templi congestam struem. Hoc il-
lud est quod Paulus intelligit, ubi ait: An nescitis q̄ corpus
vestrum tēplum est habitatis in vobis spiritus sancti? Bre-
uiter hæc illa tecta sunt bonarum virtutum gemmis & la-
quearibus distincta, in quibus Dominus inhabitaturum se
atq; in ambulaturum promittit, Leuitici cap. 26. Cui sanè
operi multò pulcherrimo, cùm te dies noctēsq; summis vir-
bus incumbētem, aliōsque itidem tuo exemplo in optimi la-
boris partem tantum non viua voce vocantem viderem,
Cardinalis amplissime, non committendum putauit ut otio-
sus in tam splendidæ architecturæ opificio, quasi spectator
aut auditor tantum contractis quodāmodo præ pigritia ma-
nibus digitisq; obtorpescerem: præsertim eiusdē patria alii-
nus, & si quid in me virium aut eruditioñis insit, optime pa-
rentis iuuandæ studio, quasiq; antipelargiæ officio totus ob-
noxius: imò conferendum potius aliquid in commune esse, &
undecunq; cœpti operis vel re promouēdi, vel verbis saltem
approbandi occasionem arripiendam. Quod cùm officij ra-
tio semel faciendum admoneret, & similia similibus proue-
hendis accommodatiſſima videretur, cōmodum mibi in men-
tem venere doctissimi cuiusdam Hebræi interpretis com-
mentarij, quibus ille prophetas iam dictos, secunda ædis in-
staurandæ acerrimos precones ac impulsores, quanta maxi-
ma fieri potuit perspicuitate suis interpretatus est. Opera
preium itaq; me facturum putauit, si peregrina lingua &
Latino-

DEDICATORIA.

Latinorum adhuc auribus inusitata conscriptā eandem interpretationem nostris usibus ut cunctis donarem: partim ut quae priscis illis temporibus post templum instauratum emendandae adhuc vita precepta opportuna videbantur, eadem apertius paulo (si qua fieri possit) à nostræ etatis hominibus intellecta, factis exprimerentur: partim ut quemadmodum in initio renascentium bonarum literarum studiosi iuvenes ad Graeca Latinis summa sua cum utilitate coniungenda, tralationibus ex altera lingua in alteram transfusis, quasi prævia interpretum manu deducti, maximos deinde in illis studiis progressus suapte sponte fecerunt, ita & in Hebraicis haberent, qui viam ipsis ad reliquos huius authoris commentarios intelligendos ut cunque sterneret. eos potissimum intelligo, qui viua alioqui preceptoris voce destituitur, quibus, ut spero, non inutilis hic labor futurus est. Habent enim & haec studia sacris literis intelligendis non leue momentum, si maturo iudicio legatur. & huiusmodi sunt, qualia Diuum Hieronymum proiecta iam etate sibi addiscenda putauit, & nonnullis in locis theologo futuro necessaria cœsunt, ubi cogimur, inquit, ad Hebreos recurrere, & scientiae veritatem de fonte magis q̄ de riuulis querere. & quae sequuntur apud eundem, in octauum Zachariæ caput. Huius vero qualis cunque Latine reddendi laboris primitia cum publicæ utilitati consecranda viderentur, amicis aliquot mei pariter, ac Hebraicæ linguae promouenda studiosissimis ita suadentibus, (inter quos primo apud me loco esse debet @ πολλῷ ἀρτέξι) dominus Ioannes Mercerus, eiusdem sacræ linguae in Academia Lutetiana professor Reginus, quem honoris causa nomino, & ea qua preceptorem decet, obseruatio colo) aequissimo iure tibi, Cardinalis amplissime, praeteris

EPIST. DEDICATORIA.

teris omnibus debebatur: ut qui primam aggrediendā trā-
lationis occasionem fælicissimo tuā legationis successu de-
deris, eiusdem in lucem ēdendā primo gustu prælibando
fruerere, méique interim erga te obsequij ac propensā volun-
tatis argumentum qualemque, mnemosyni loco obsigna-
tis (ut aiunt) tabulis testatum haberes. Vnde quid velim po-
tiū, si pares animo vires suppeterent, quām quid possum, il-
lustrandi nominis tui causa prestare, tanquām ex vnguis
leonem intelligeres. Vtinam aut in his laboribus, aut in reli-
qua mea perquām tenui rei literariæ supellec̄tile aliquid ef-
set, quod tibi gratum & aliis usui esse pos̄it. Cui si placeat,
quod è peregrina lingua traducitur, non dubito quin & oīij
perinde ac negotij mei in his studiis collocati faciliorem ra-
tionem Mæcenatibus meis redditurus sim, & alios multò
aequiores in iisdem approbandis iudices habiturus. Quod
enim Augustinus olim de Simpliciano pro sua modestia
Simplicianū, sibi persuasit, idem ego mihi quoque de tuo iudicio, Cardi-
lib. 2. nalis dignissime, persuasum habeo, & habere debeo: quum
tibi, inquit, aliquid placet, noui cui placeat, quoniam quis
te inhabitet noni. Faxit item tui incola Deus Opt. Max.
ut orbi Christiano, patri & nostræ iuuandæ diu superstes,
aliquando ciuitate cœlesti doneris. Vale. Lutetiae Parisi-
orum, Calendis Martiis, 1556.

Tibi tuōq; obsequio addictissimus

Thomas Nelus.

INTERPRES LECTORI

Christiano 旣 πρόσθιν καὶ
旣 ορθίνει.

 Peræ premium fortasse fuerit, Christiane lector, initio huiuscæ operis (quod faustū tibi fœlixq; sit) breuiter aliquid cùm de rei ipsius, quæ tota hic agetur, natura, tum de interpretationis genere atque occasione in vniuersum admonuisse, partim vt vno quasi oculorum aspectu res ipsa tota comprehensa, facilio rem sui cognitionem præbere possit, partim vt instituti mei consilium, susceptique laboris qualem cunque rationem, amico saltem & beneuolo lectori probatam reddam. Quorum & illud tibi (quod spero) non iniucundum, & hoc mihi vel in primis necessarium videatur. Habes igitur quod ad pri mum attinet, doctissimi Hebræorum interpretis Davidis Kimhi in Haggæum, Zachariam, & Malachiam prophetas commentationem, Latinè ut cùque redditam. Quam quum hactenus sua dun taxat lingua delitescentem, Hebræis solis, aut He braïsmi ei studiosis utilem animaduertissim, non committendum putaui, vt istud quicquid erat boni, tam angustis finibus inclusum, paucorum proprium foret, quod cōmune pluribus emolumen tum adferre possit. Etenim inter omnes ferè, qui à Christo nato aliquid ad sacras veteris instrumenti literas intelligēdas Hebraïcè contulere, nemo hoc interprete diligētiūs, nemo accuratiūs (quod sciā) é simpli-

P R A E F A T I O :

simplicem ac genuinā verborum explicationem,
vel doctissimorum etiam nostrāe ætatis hominum
iudicio præstitit. Quod si quis nouo hoc à me exé-
plo factum putet, vt ad prophetarum oracula ex-
plicanda, post infinita penè grauissimorum nostrę
fidei authorum monumēta, Iudæum interpretem
in medium adferam, atque hoc illud esse existimet,
quod vulgò frequens dici consueuit, solem velle lu-
cerna monstrare, ac repertis frugibus, glandes ad-
huc vescendas obtrudere, non ineptè(ni fallor) co-
dem hīc responso mihi vti licebit, quo Philippus
apostolus apud Ioannem Nathanieli, viro illi qui-
dem minimè malo vsus olim fuisse legitur. Cui
quum admirationis nonnihil, sub initium noui
euangelij mouisset natalis seruatoris nostri Chri-
sti patria Nazareth, adeò vt interrogarit, an boni
quidpiam è Nazareth esse possit, veni, inquit ille,
& vide. Ita & ego pari quidem verborum breuita-
te, licet in re longè impari, si quis hīc itidem inter-
roget, an ab homine Iudæo boni quidpiā expecta-
ri debeat, non alienè fortassis respondero, si dicam,
lege & vide. Nam quum triplici sensu tum à no-
stris, tum ab Hebræorum plerisque interpretibus,
literas sacras explicādi ratio constare dicatur, gram-
matico, mystico, & allegorico, isque in primis ne-
cessarius sit, qui reliquis duobus ceu cardinis ac
fundamenti loco substernitur, in verbis & histori-
ca rerum gestarum narratione potissimum situs,
alienum fortasse à ratione non fuerit, Hebraicæ
grammatices proprietatem ab Hebræo potius in-
terprete,

P R A E F A T I O.

terprete, quam aliunde petere. Sed ita tamen ut si.
cubi patrio & aucto errore Iudaicas ille nugas, &
Rabbinica somnia pro seriis venditet, Hebraeum
eum esse, non Christianum interpretem memine-
rimus: aurumque (quoad eius fieri poterit) è ster-
core etiam Enniano Vergilij exemplo quaramus.
Cur enim hic non liceat, historiae verborumque co-
gnitionem Iudaica interpretatione non nihil noua-
re, quum prophana quoque studia non aspernau-
da censeat diuus Augustinus lib. secundo de do-
ctrina Christiana, si quid in illis occurrat, quod
quouis modo rebus sacris tractandis usui esse pos-
sit? Evidem quod ad me attinet, diuini illius ho-
minis consilium tum hic, tum alias quoque ob o-
culos semper ponendum imitandumque iudica-
ui, quod ille libri eiusdem capite quadragesimo se-
cundo grauissime suadet, nempe ut quemadmo-
dum Aegypto olim Israëlitæ emigraturi, vasa, ve-
stes, & aurum Aegyptiacum, Deo Optimo Ma-
ximo iubente, vna secum asportarunt, quibus
postea in cultu diuino usi fuere, ita & nos unde-
cunque arrepta occasione, vel ab aduersariis fidei
atque professionis nostræ, sicuti commodum vi-
debitur, ad intelligenda sacrosancta Biblia subsi-
dia comparemus: atque adeò ne à Iudeo quidem
prolata, quæ prophetarum obscuris oraculis ali-
quid lucis adferre possint, idcirco aspernemur,
quia vera subinde falsis, & futuris præterita per-
miscent. Nam & triticum nemo ideo minoris æ-
stimat, quia lolium plerunque adnasci soleat, &

é ij Deus

P R A E F A T I O.

Deus ipse omni humana laude maior, Hoseæ secundo: Non dubitat aurum, argentum, lnum, aliaque id genus munera, quæ meretrix in lenones impurissimos impenderat, sua appellare. Cur ergo non liceat adminicula huiuscmodi qualiacunque prophetarum oraculis illustrandis, quo quis tandem modo aut authore adhibita, nostra potius occupando, quam aliena non legendo facere? præfertim hac ætate, qua Dei Optimi Maximi beneficio Christianæ fidei fundamenta usque adeò iacta sunt & longa æui æternitate confirmata, ut à phanatico illo & inueterato ludæorum errore, quo tardigradum & verè ὅμοιος (vt Græci appositi loquuntur, & nos serotinum appellare poterimus) suum adhuc Messiam misere expectant, minimum periculi (quæ Christo seruatori nostro maxima gratia habenda est) imminere videatur, hominésque doctissimi summa cum laude (minori tamen quam pro meritis suis) & auditorum utilitate, publicè ac priuatim in orbe Christiano commentarios huiusmodi interpretentur. Interim tamen ne qua vel incauto lectori labendi occasio relinqueretur, antidoti cuiusdam loco, ac memoriæ refricandæ causa, nodos illiusmodi Iudaicos, si qui difficiliores hic occurrerint, brevissimis obseruationibus partim ex Hieronymo, partim ex aliis probatæ fidei authoribus ascriptis, ut cunque dissecandos curauit. Sequutus ea etiam in re diuī Augustini (quo consultore lubenter omnes uti debemus) authoritatem atque consilium.

Is enim,

P R A E F A T I O .

Is enim , pro eo ac superiùs iam admonere cœpi ,
prophana sacris ita demum adhibenda censuit , vt
qui illis adminiculis yti voluerit , eodem modo v-
teretur , quo Israëlitis Deuteronomij vigesimo pri-
mo præcipitur , vt in exotica foemina ac bello ca-
pta in uxorem diligenda sese gererent , nempe vt
illa cæsariem sibi priùs abraderet , vngues præci-
deret , vestem priorem deponeret , & alia quædam
præstaret , quæ lex eo loco disertis verbis exigit .
Quale quid in præsentiarum huic etiam operi ne-
cessarium arbitratus , nouaculæ loco , quæ cæsa-
riem Iudaïcam abraderet , Christiana quædam an-
tididagmata adhibenda curauit . Rabbinica multa
& otiosa philosophantium suo more Iudæorum
præsegmina , ac grammatica nonnulla præcepta ,
quia in Hebraïcæ linguae studiosæ iuuentutis gra-
tiam resecanda prorsus non videbantur , ab ipso ta-
men contextu aliena , in operis totius calcem re-
ieci : quò nec omissa penitus à quoquam desidera-
rentur , nec interpretationis perpetuæ cursum me-
dio quasi aliœo iniecta moraréatur . Iam verò quod
ad interpretationis formam attinet , quum illud
in vniuersum cuivis interpreti præstandum do-
ctissimi quiq; præcipiant , vt sensum magis quām
verba verbis exprimat , idem hic mihi necessariò
faciendum fuisse facile concesserit , qui vel medio-
criter in huiusmodi studiis versatus fuerit , vbi per-
petua ferè hyperbata , perpetua Rabbinicæ linguae
idiomata passim , aliquando etiam ad nauseam vñ-
que occurrunt , à Latinis auribus tam aliena , vt

P R A E F A T I O.

monstra potius, quam Latinæ loquendi formulæ
viderentur, si quis verbum è verbo redderet. Fuit
itaque per vniuersum opus sensui potissimum, ac
deinde nostri sermonis consuetudini nonnihil in-
seruendum: eorum interim non minima habita-
ratione, quityrones adhuc huiusc linguae, confe-
rendi causa, nostra hac fortasse qualicunque ope-
ra, ad reliquos eiusdem authotis commentarios
intelligendos subsidiaria vti volent. Cæterum in
ipsis prophetarum oraculis recensendis, quæ ne-
cessariò huc ascribenda erant, verborumque con-
textu (vt vocant) referendo: quoniam Hebraici in-
terpretis explicationi per omnia inhærendum: ac
tantum non alienis vestigiis insistendum fuit, il-
lad equidem vel æquissimo iure mihi indulgen-
dum putau, vt salua vulgatae ac receptæ tralatio-
nis fide & authoritate (quam lubentissimè am-
plexor, vbi de recondita rerum significatione at-
que mysteriis fidei agitur) grammaticum sensum
eiusmodi interpretatione eruerem: quæ ne latum
quidem vnguem ab eadem Hebraica norma dis-
creparet. Ita enim præsentis instituti ratio postu-
lare videbatur, vt Hebraico interpreti contextus
etiam Hebraicus unde quaque responderet. Alio-
qui quoad interpretationis varietatem attinet, quæ
Septuaginta interpretum nomine, veneranda mul-
torum annorum antiquitate suspicitur, sicubi ab
his quæ hodie punctis vocalibus distincta Biblia
vaneant, nonnihil discrepet, illud in vniuersum
tametsi aliis omnibus non satisfaciat, mihi tamen
plarisque

P R A E F A T I O.

plarisq; in locis scrupulum omnem eximit, quod Augustinus libro quarto de doctrina Christiana capite septimo scribit: ideo nonnulla aliter reddit a atque conuersa fuisse, ac in Hebræo habeantur, ut ad spiritualem sensum magis accenderetur lectoris intentio, & quæ sequuntur apud eundem in eadem sententiam. Habet utriusque, tam rei propositiæ quam interpretationis præstitæ modum atque rationem. Quod reliquum est, faxit Deus

Opt. Max. vt vtraque communibus

Christianæ Reipublicæ studiis aliquò usque inferuire possit.

Vale.

COMMENTARII RABBI DAVIDIS KIMHI IN

Haggæum prophetam.



Caput I.



NN O secundo Darij regis, mensa sexto, die primo mensis, factus est sermo domini per Haggæum prophetam ad Zorobabelem filium Salathielis, ducem Iehuda, & ad Iehosuam filium Iehozadac sacerdotem magnum in hanc sententiam.

Eodem hoc tempore Romæ regnauit Tarquinius superbus. Fuere autem trecenti, plus minus, anni ante Christum Seruatorem natum.

Zorobabel typus est eiusdem Seruatoris, qui verè dirutum ædificavit templum, i.ecclesiam, & reduxit populum de captiuitate.

Christi typum, secundum id quod rex erat, repræsentat Zorobabel: secundum id quod pontifex erat, repræsentat eius cognominis Iehosua sacerdos magnus.

Anno secundo Darij regis. Fuit hic Darius Assuerus patre æditus: &c, ut fertur, Esther filius. Idem templo instaurari iussit, quod opus impeditum fuerat ab aduersariis Iehudæorum, iam inde statim ab initio regni Assueri. Nam ab eo tempore, quo primum in exilium migratum est, ad illum usque diem nondum plenè absoluti erant septuaginta anni excidijs Hierosolymitanis, (nisi ratio eorum ab imperio Nabugodonosori subducatur,) id quod ut fieret, Hieremiac illud cap. 29. exigere videtur. Post compleros, inquit, in Babylone septuaginta annos, visitabovos, &c. Illi verò iam tum temporis non nisi quinquages-

a mum

COMMENTARII KIM HI

mum secundum exiliū annum agebant. Migrarunt enim anno decimo nono regni Nabugodonosori, visitatioque illa que sub Cyro contigit, integra & perfecta censenda non est: quippe qui triennio tantum regnarit, eoque etiam non pleno. In initio vero regni Assueri scribebantur inimicae illae literæ, quibus impeditiebatur operis structura, ad secundum usque annum Darij regis Persarum: quo tempore plenè iam absoluti erant ab excidio Hierosolymitanorum septuaginta anni, nouemdecim scilicet illis expletis, qui antea desiderabantur, nempe Cyri tribus. Assueri 14. Et duobus Darij. Atque ita summa iam illa superior septuaginta annorum emanat. Quo quidem septuagenario annorum spacio elapsò, ab excidio urbis Hierosolymitanæ, instabat iam ædis dominicæ instaurandæ opportunum tempus. actum demum Haggæum (Hierosolymis commorantem) propheticæ spiritus afflatus incessit, ad alacritatem, animique propitudinem Zorobabeli suggestam, & sollicitandam operis dominici structuram. Nam ipsi alioqui parum impigre se in ea gerebant, præ metu aduersariorum, qui ad aliquot hosce annos intermissi operis in causa fuerat. Neque enimvero prius eos unquam afflatus diuinus, sed iam primum excitat, quoniam non nisi post eum diem expleti fuerant à vastitate Hierosolymitana septuaginta anni. Cui quidem sententiae consonum est & illud quod Esdræ 5. scribitur in hæc verba, Prophetauitq; Haggæus propheta & Zacharias filius Iddo prophetæ Iehudæis illis qui fuerunt in Iudea & Hierusalē, nomine Dei Israël, cuius instinctu afflati fuerunt. Ad Zorobabelem filium Salathielis. Zorobabel cuius hoc loco meminit, non fuit ille quidem Salathielis, sed Pedaiæ filius: atque hic rursus Salathiele patre

tre oriundus, ut i. Paral. 3. constat. Cæterum ex filiis suscep-
pti nepotes, filiorum loco haberis solent. Quod autem hoc lo-
co Salathielis potissimum mentionem faciat, id inde for-
tasse factum est, quoniam Salathiel Pedaia vir multo insi-
gnior ac clarior extiterit, quemadmodum & Zacharias
filius Iddo appellatur, Esdrae s. patre tamen Barachia na-
tus, qui filius Iddo fuit. Duce Iehuda. Qui ab eo tem-
pore quo domus secundum instaurata fuit, rerum summa
potiebantur, haud illi quidem regum titulis amplius insi-
gniebantur: quippe qui bona ex parte ethnicorum princi-
pum imperio obnoxij fuerint. Quod si quis hic obiiciat
Machabæorum aut Herodianorum familiam, eosque re-
gum nomine appellatos fuisse dicat, aliena quidem fuit ho-
rum omnium origo à tribu Iuda. & ad Iehosuam filium
Iehozadac sacerdotem magnum. Iehozadac ille, cuius
hic meminit, unà cum cæteris in exilium abductus fuit, ut
habetur i. Paralip. c. 6. his verbis, Porro Iehozadac eges-
sus est, quando transtulit dominus Iudam & Hierusalē per
manus Nabugodonosori. Esdras eiusdem frater fuit, uterq;
Seraia patrem habuit. Eius ergo quē Iehozadac diximus,
filius Iehosua, Hierosolymā iam olim unā cū Zorobabele
redierat. Cæterum Esdras non nisi elapsō iam anno septua-
gesimo ab urbe euersa rediit, quo tempore instaurandæ aedi-
dominicæ iam admouebantur manus. In hanc sententiā.
Verba hæc illa sunt, quibus populus ad Zorobabelem ac Ie-
hosuam utebatur. Sic ait dominus exercituum dicēs:
Populus iste dicit, tempus nondum adeſt, tempus
videlicet, ut domus domini instauretur. Factum er-
go est verbū domini per Haggæum prophetam in
hæc formam: An tempus est vobis ut vos habitetis

COMMENTARII KIM HI

in domibus vestris laqueatis, domus autē ista de-
serta sit? Sic ergo dicit dominus exercituum, Dili-
genter perpēdite vias vestras. Seminastis multūm,
& parum infertis: comeditis, sed non ad satieta-
tem: bibitis, sed non ad inebriationem: induimini,
sed ita tamen ut nemo calefiat: & qui seipsum pro
pretio elocat, recipit mercedē in sacculū pertusum.

Comedistis, inquit, ne forsitan è vobis quispiam dicat voluntarium
fuisse iejunium, & tamen non estis saturati.

Id autem vobis accidit, quia honori meo delicias vestras anteponi-
tis: fatagitis quisq; rerum vestrarum, & interim negligitis res diuinias.

Qui post bona opera non semel & bis, sed frequenter peccat, &
præteritam charitatem sequentibus vitiis obscurat, & sordidat, iste in
pertusum saccum pecuniam congregat.

Idem plerisque contingit, qui habitant in ædificiis laqueatis, & quā-
tum in se est, despiciunt desolatam domum Dei, & cùm possunt ædi-
ficare, contemnunt.

Sic ait dominus exercituum. *Vt illi viciſſim po-
pulo hunc in modum responderent. Impedita enim ab ad-
uersariis Iehudæorum adis sacrae instaurazione, reliquo om-
ni quod interieclum est, temporis interuallo, deplorata ſhem
eius resarcienda populus habebat, illud interim clamitans:
haudquaquam adhuc opportunum adis extruēdæ tempus
aduenisse: etiam si satis intelligeret, elapsos eo tempore fuif-
fe ab urbe euersa septuaginta annos, quum secundum iam
regni sui annum ageret Darius. Verum enī uero memi-
nisce illos oportuerat, non temerè id aut sine causa factum,
quod ab exilio reuocati fuissent, debere potius, vel tacente
propheta, manus operi admouere, sibi que mutuo animos
addere: præsertim quum suas fibi res parum ex animi sen-
tentia succedere animaduerterent: quemadmodum hic in-
frā ait: Seminastis multūm, & parum infertis, &c. Quin
et*

Et illud ipsis in mentem venisse oportebat, supplicij id loco
 immisum fuisse propter neglectam et plane desperatam
 aedis dominica structuram. Vbi ergo remissos eos et ad
 mutuas exhortationes obtorpescentes videret Deus Opt.
 Max. Haggæum prophetam legatum ad eosdem mittit.
 Factumque est verbum Domini. Dominus enim ita
 populum alloquitur per Haggæum. Nam quod hactenus
 priori prophetia continebatur, id eò pertinebat, ut Zoro-
 babeli Iehosuæq; vicissim impertiretur. Hæc autem quæ
 secundo loco ponuntur, ad populum spectant, et in eum si-
 nem dicuntur, ut ad populi concionem referrentur. Num
 tempus est vobis? Vos, inquit, o vos qui illud in ore ha-
 betis, nondum aduenisse tēpus opportunum extruēdæ aedi
 dominicæ, dicte enim uero mihi, nū opportunū vobis vide-
 tur, ut in vestris laqueatis aedibus acquiescatis, et hæc in-
 terim domus squalore prorsus obtorpescat? hoccine pulchre
 se habet? An nō vestri pudeat? perpēdite diligēter vias
 vestras. Vias pro negotiis et operibus haud aliter hoc loco
 posuit, ac Esa. c. 58. ubi ait: Honorabisq; diē illū, ut ne fa-
 ciās vias tuas. Ipse deinde suimet interpres est, quum addit,
 Seminasti multū. Cōtrà scilicet ac vulgo fieri consue-
 uit. Nam plurimā messem è modico iacto semine proueni-
 re video, et multò cumulatiora in horreum inferri, quam
 fuerint in sementem exposita. Nunc verò quum non ita vo-
 biseum agatur, sed modo plane contrario, quā fit, quòd istud
 quicquid est mali, non in supplicij loco ponatis, et aedis cau-
 sa immisum putetis? quam vos squalentem ac desertam ia-
 cere permittitis. Accedit huic et aliud malum: nempe q; à
 maledictione ne illud quidem immune reperiatur, quod in
 horreo reconditum est. Vnde adeò fit, ut famæ eo comestio
 a iii expleri

COMMENTARII KIM HI

expleri non possit: id quod de eiusmodi quoque comedendi genere dictum intelligi volo, quod alias pro communi hominum consuetudine satis sit explendo ventri. & non inebriamini. perinde ac si diceret, non explemini. Nam ebrietas accidit, quem quis vino expletur: tum videlicet, quem immodice sumitur, ad metis usque perturbationem. ut nemo calefiat. i. vestis illa quam induit, calorem adferendi vim non habet, quanuis eiusmodi quae pro communi hominum more calefaciendo corpori sufficiat, nempe singulis rebus inhærente maledictione. Et qui mercede se locat. Pecunia ea quae mercibus emendis vendundisque, aut opera sua alteri locata acquiritur, maledictioni et ipsa obnoxia erit, haud aliter ac si in peram aliquam vestiarium inferne pertusam et foraminibus peruiam immitteretur, quippe quae immissa illico elabitur.

Sic dicit dominus exercituum: Ponite cor vestrum super vias vestras. Ascendite in montem, ut afferatis ligna, & ædificetis templum, & gratum erit mihi, & gloriosus ero, dicit dominus. Respiciatis ad multum, & ecce parum, quodque in domum infertis: in illud ego influo. ob id scilicet, dicit dominus exercituum, quod domus mea adhuc deserta est: vos autem curratis, ut quisque domum suam habeat: idcirco coeli super vos rorem non dant, nec terra prouentum suum. Ego quoque vocavi siccitatem super terram, & super montes: super frumentum & vinum: super oleum, & super vniuersum quod terra profert: super hominem, & super iumentum, & super vniuersum laborem manuum.

Ros de coelo gratia Dei est: ut si cuius anima perturbationibus & iaculo

iaculo diaboli vulnerata ardeat, refrigeretur hoc rore, & æstus suos temperet, quo retento terra quoque mentis nostræ non adserit germen suum. Neque enim sine rore Christi potest vlla anima adferre frumenta: quæ sunt opera veræ pia.

Sic dicit dominus exercituum. *Sensus horum verborum satis ex se constat. In dictione Hebraïca, quæ huic verbo respondet, & gloriosus ero, apocope est He literæ, quæ quum non exprimatur, inter legendum tamen locum habebat, utrinque significatio est eadem. Ratio autem rescifit. pud Hebreos sæliteræ diligenter est à maioribus nostris (quorum memoriam lubenter usurpare debemus) & accurate admodum inuestigata. Ea verò fertur esse huiusmodi, quoniam post adem instauratam, quinque rerum desiderio laboratum fuit, arcæ nimirum Vrim & Thūmim, ignis cœlestis, præsentiae diuinæ, & spiritus prophetici. Respicitis ad multum. Si concitato semel cursu, materiam è montibus extruendæ domo subducendam curaretis, execrationi locus apud vos amplius non esset. Cæterum qui iam est rerum vestrarum status, respicitis ad multum, & ecce parum: parum inquam est, quod videtis. idque longè secus fit, ac pro expectatione vestra, quorum cogitationibus animisq; multa obuerabantur. & ego inflō in illud. perinde ac si res eiusmodi foret, quæ vel solo oris anhelitu, & narium insufflatione absumi posset. Chaldaeus paraphrastes ita redidit: & ego maledictionem in illud immitto. Idcirco super vos. Quoniam ethnicorum hominum agri pluuiia ac rore supernè manante irrigantur. At super vos & in agris vestris cœli usque adeo in arctum comprimi videntur, ut ne vel rorem quidem emittant, qui alias supprimi non soleat. Quale quid Leuitici 26. inter execrationes enumeraatur, ubi ait: Ponam cœlos vestros sicut ferrum. qui locus & huic*

He litera a-
pud Hebreos
quinariū nu-
merum signi-
ficiat.

COMMENTARII KIMHI

Et huic respondet. Ego quoq; vocavi siccitatem. id est, decreui futuram sterilitatem & famem. super terram. nempe ut illa prorsus exarescat: et aeris quoque natura in siccitatem abeat, nec quicquam deinceps humoris emanet ex aquis illis abyssi, que partes inferas occupant. contrà planè ac Deuteron. 33. dicitur, ubi ait, Et de abyso, quæ infrà cubat, &c. & super montes. reperiuntur enim nonnulli bonarum arborum feraces, è quibus non pœnitendi fructus & herbæ utiles carpuntur: ut constat Deut. 33. & de vertice, inquit, montium æternitatis, ac fructibus collum sæculi. Et super triticum. Sunt enim hæc tria, in quibus victus humani cardo (quod dicitur) & præcipua ratio ponitur. Deinde breuiter omnia quasi in unum contrahit. & super vniuersum, inquit, quod terra profert: super hominem præterea, & super iumentum. Nam ex inflammatione & squalore aeris morbi multi pestiferi cum in hominibus, tum in iumentis enasci solent. & super vniuersum laborem manuum. haudquaquam illis bene succedet: sed frustra potius insumetur opera, quam irrigandi causa, hauriendis è puteo aquis impendent, nulli videlicet usui futuris: ita ut hunc locum interpretatur ingens quidam Rabbi Abraham Esrites, (cuius memoria ac recordationi suus hic bonus habetor:) vult autem dicere aerem illum squalentem, qui terram ambit, omnia sua siccitate affecturum, quæcumque fuerint ab illis irrigata.

Audiuit autem Zorobabel filius Salathielis, & Iehosua filius Iehozadac sacerdos magnus: atque cunctæ reliquiæ populi, vocem domini Dei sui, & verba Haggæi prophetæ: quum illum misisset dominus Deus eorum: timuitque populus à facie domini.

mini. Et ait Haggæus legatus domini legatione domini ad populum, dicens, Ego vobiscum sum, dicit dominus. Et excitauit dominus spiritum Zorobabelis filij Salathielis, ducis Iehuda, & spiritum Iehosuæ filij Iehozadac sacerdotis magni: atque spiritum totius reliqui populi, vt yenirent & facerent opus in æde domini exercituum Dei sui.

Suscitatur spiritus populi, qui anteà obdormiebat, vt ingressi (foris enim fuerat) faceret opera quæ digna erat penetralibus domus domini. Aedificanda porro intelligitur domus spiritualis in sacerdotiū sanctum ad offerendas spirituales victimas placentes Deo, vt suscitetur in nobis spiritus sanctus, & ingrediamur in domum domini, & faciamus opera eo digna. Iam enim Christus verus ille Zorobabel & Iehosua in æternum suscitatus est à Deo patre, vt illi præsit operi, nos vero facimus ipso adiuvante & disponente.

Audiuit autem Zorobabel, &c. Etiam si Haggæus propheta nequaquam eos alloquutus fuisset, officij tamen ipsorum ratio postulabat, ut adis dominicæ structuram molirentur. Statim enim iam inde ab eo tempore, quo suas sibi res non ex animi sententia, sed aduerso potius flumine (vt dici solet) & præter consuetum morem euenire viderunt, actionum suarum diligens erat subducenda ratio, & inquirendum in opera. Atque hoc illud est, quod hoc loco dicitur, audiuit vocem Dei sui. Præcipit enim in lege dominus, Leuit. 26. his verbis: Si ambulaueritis mecum fortitudine, & quæ sequuntur, ubi mali quidpiam aduenierit, examinanda statim opera, nec illud esse fortunæ aut casui acceptum ferendum. At enim uero maiori multò studio, ardentiusque in opus incumbere debebant, propter Haggæi verba ad eos habita, quem dominus legatum nomine suo emisit: ideoque adiungit, & verba Haggæi prophetæ. Et ait Haggæus angelus domini. Legatus, scilicet, ab eo

COMMENTARII KIMHI

eo emissus. Eodemque modo angelus ubique ferè pro legato ponitur: ut Numer. 20. Misso angelo suo eripuit nos ex Aegypto. Mose nimis præceptore illo nostro, sacro sanctæ memorie. Et excitauit dominus. Opus enim fuit huiusmodi animorum excitatione, propter aduersarios, qui omni studio contendebant, impedire, ne quicquam operis fieret, quo scilicet obfirmato pectore prædicto operi incumberent.

In vicefimo quarto die mensis: in sexto scilicet mense, anno secundo Darij regis.

Sextus mensis Februario nostro magna ex parte respondet. Nam annus Hebreorum duo habet initia, alterum à Martio, quando de festis agitur, alterum à Septembri, quando de aliis rebus fit sermo: quo mense putant creatum fuisse mundum.

Quanuis hic initium sit noui capituli, sensus tamen ad superiora pertinet: hoc enim die primas operi manus admouent, ut supra quoque dictum erat: ubi aiebat, ut veniret, & facerent opus. Id quod tamen non eo modo accipendum est, quasi iam ædificiū ipsum aggressi sint, sed ea dunt taxat præpararint, quæ futuro ædificio necessaria videbantur. Structuræ enim initium non ante vicefimum quartum noui mensis factum est.

Caput 2.

Septimo mense, vicefima prima mensis, factum est verbum domini per Haggæum prophetam hoc modo: Dic ad Zorobabelem filium Salathielis ducem Iehuda, & ad Ichosuam filium Iehozadac sacerdotem magnum, & ad reliquum populum, in hanc formam: *Quis ex vobis reliquus est, qui viserit domum illam in magnificencia sua priore? & quid*

quid vos, qui videtis eam nunc? An non si ad illam
cōparetur, tanquam nihil in oculis vestris? Attamen
fortis sis, ô Zorobabel, dicit dominus: sis & tu for-
tis ô Iehosua sacerdos magne: fortisque sis ô uni-
verse popule terræ huius, ait dominus, & facite:
quoniam ego vobiscum sum, dicit dominus exer-
cituum: verbum quod excidi vobiscum, quum de
Aegypto exiretis: & spiritus meus perseverabit in
medio vestri: nolite timere.

Ab externis ad interna eos reuocat: & hæc illis longè præstantiora
esse docet, expectādam aliam templi gloriam: alioqui hanc cum priori
non conferendam.

Spiritus meus in medio vestrum. Animaduertendum in verbis ipsis
Trinitatis sacramentum, vbi ait: Ego sum vobiscum, & spiritus meus,
& verbum, in quo posui testamentum, quum egredieremini de Ae-
gypto.

Pasim illud inseritur per Haggæum prophetam.
Quoniam eius vaticinium legatio quadam erat, eo nomine
ad illos destinata, ut quæcumque ipsis facienda mandaret,
ipsi postea eadem aggrederentur. Dic ad Zorobabelem.
Sensus ex se satis constat. Quis ex vobis reliquus est?
Senibus videlicet & ætate prouectis, qui excidio adhuc
superstites viuitis. tanquam nihil in oculis vestris?
Si liberet hanc ædem cum priori illa conferre, perinde ac si
altera alteri per omnia responderet, an non hæc iudicio &
opinione vestra, nullius prorsus momenti esse, atq; adeò vix
in rerum natura, præ altera illa, quæ olim fuit, subsistere
videatur? Attamen fortis sis ô Zorobabel. Agite ve-
rò deinceps, ne fatiscant hoc nomine, ne labascant manus
vestrae. Nam & hæc ædes in magna futura est gloria.
& facite. Vis huius verbi annexi debet ei, quod proximè
sequenti versu continetur, ut hic sit sensus: Facite verbum,

b ij quod

COMMENTARII KIM HI

quod ego pepigi vobiscum, &c. quo factō, & ego unā vobiscum futurus sum: & res vestrē maiora in dies incremen-
ta ac robur accipient. verbum: fædus, inquam, illud, quod
olim inter me ac vos initum fuit. Spiritus meus perse-
uerabit in medio vestri. Spiritus ille quidem sacer atq;
propheticus: qui posteā tamen, quum illi per peccata legi
præceptisque diuinis nequaquam satisfacerent, ætate Za-
chariae & Malachiae euanuit. Porro quod vobiscum hoc
loco dicitur, perinde est, ac si cum patribus maioribūsque
vestris dixisset. Tantūdē enim est, ac si fædus illud iniissim
vobiscum. quale & illud est, Deuter. 5. Non percussit do-
minus fædus hoc cū patribus nostris, sed nobiscum. Chal-
dæus paraphras̄tes verba illa, & spiritus meus, ita red-
didit: Prophetæ mei docent inter vos.

Quia sic dicit dominus exercituum: Adhuc se-
mel, idque breui, ego cōmouebo cœlos, & terram,
marc, & continentem, & commouebo omnes gen-
tes: & veniet qui desideratur ab omnibus gētibus:
implebōque domum istam gloria, dicit dominus
exercituum. Meum est argentum, & meum est au-
rum, dicit dominus exercituum. Maior erit gloria
domus istius posterioris, quam prioris, dicit domi-
nus exercituum. & dabo pacem in loco isto, dicit
dominus exercituum.

Desideratus gentibus, nempe dominus noster atque seruator. Aut
gentes desideratissimæ atque electæ à Deo venient ad Christum: quasi
dicat, non solū à Iudeis, sed etiam ab electis & desideratis gentibus
recipietur Christus.

Gloriam eam intelligit, quam Christus sua ipsius præsentia templo
attulit, quando in eo prædicauit, & edidit miracula. Cœlestis doctrinæ
gloria in eo refulsi, cuius umbra præcesserat.

Meum est aurum & argentum, quibus possem ornare téplum istud,
sivellem,

livellem, sed ego (quod maius erit) illud ornabo mea ipsius præsentia.
Dabo pacem, nempe pacis authorem, qui dicitur pax nostra.

Commouebo cœlos & terram. Metaphorica locutio est, ab amplitudine & magnificetia gloria ducta, qua dominus Israëlitas affecturus erat, durante interim secunda domo. Sunt enim qui hoc accidisse ætate Machabœorum putent, alij de eo tempore dictum interpretatur, quo floruit Herodes. Idq; ita factum videre est apud Iosephū Gorionem. Porro quod sequitur, adhuc semel, idque breui, huc sensum habet, Evidem aliud adhuc vobis beneficium impertiar, aliud prioribus adiungam, quæ hactenus in vos contuli. Leue vero fuerit, nec arduum mihi, id vobis præstare: quod præsenti tamen beneficio longè præstantius erit. Sunt enim in præsentiarum, qui se vobis aduersarios in extuenda æde opponant. Sed tum temporis futurum est, ut honoris plurimum eidem deferatur ab omnibus, quacunque uspiam gentes reperiuntur, quam animi sui non dubiam voluntatem munusculis testamat relinquent, auri argenteique copia, quam in eandem affatim congerent. Quanquam & terræmotus cuiusdam mentio etiam fiat apud Iosephum, qui temporibus Herodis acciderit. Quod autem hoc loco cœlos, terram, mare, & continentem, commota iri dicat, hyperbolæ sapit: cœli enim huiusmodi successorij ac tremuli motus expertes sunt. Et commouebo gétes, id est, suggestam hoc illis, & author ero, ut relictis suis sedibus ad iniuriam huiuscædis magnificentiam confluant, adducta una secum auri argenteique bona copia. Et venient cum delitiis omnium gentium, veniet, inquam, huiusmodi homines, quos ego illuc euocaturus sum, onusq; delitiis omnium gentium, id est, adferent quicquid domi in sua su-

COMMENTARII KIM HI

pellec^tile præcipuum & egregium inueniri poterit, aurum,
argentum, vestes, & gemmas. Meum est argentum.
Quisquis ille tādem fuerit, penes quem eius usus est, ad me
tamen spectat, mei iuris est, & in me positum, ut huic abla-
tum, illi impertiar: ac prouidè me authore gentes vndique
in hanc ædem auri atque argenti vim magnam accumula-
bunt. Maior erit gloria. Varia est hic & diuersa maio-
rum nostrorum interpretatio (quorum memoriam lubenter
amplector.) Sunt inter eos qui ad annorum spatia hæc ver-
ba referat: alij ad ipsam ædificij structuram. Verum enim
vero (ut mea fert sententia) utrisque satis commodè locus
esse potest. Prior enim ædes ad annos quadringétos decem,
posterior ad annos quadringétos viginti permanxit. Quin
& structura insignis fuit, ut à maioribus nostris accep-
imus: (quos faustum felixq; sit hoc loco nominasse) & apud
Iosephum videre est. Neque enim uspiam genitum aut
locorum post ullam hominum memoriam inueniri potuit
architectura, cum eius pulchritudine ac venustate confe-
renda, quam Herodes in æde sacra construxit. & dabo
pacem. Etiam si sub æde dominica secundum instaurata,
multa bella gesta fuerint, diu tamen & paci locus in or-
be fuit.

In vicesima quarta noui mensis, anno secundo
Darij, factus est sermo domini ad Haggæum pro-
phetam, in hunc modum: Sic dicit dominus exer-
cituum: Interroga quælo sacerdotes legem, dicens:
Si portauerit quispiam carnem sanctam in ala ve-
stimenti sui, & tetigerit ala sua panem, aut coctum
quid, aut vinum, aut oleum, aut quemcumque ci-
bum, num sanctificabitur? Et responderunt sacer-
dotes,

dotes, atq; dixerunt, Non. Et ait Haggæus: Si mor
tuo pollutus ista omnia tetigerit, num polluetur?
Respondentes sacerdotes dixerunt, Polluetur.

Considera sacerdotalis esse officij de lege interroganti respondere,
mundum ab immundo discernere, & dubia, quæ fortè emerserint, re-
scindere. Quocirca & legis cognitio à sacerdotibus hic exigitur: & suo
ipsorum responso postea conuincuntur, ut David olim à Nathan pro-
pheta sub aliena persona ad sui erroris cōfessionem perductus legitur,
2. Reg. 12. Idem Absaloni filio reconciliatus est figuratae mulieris The-
cuitidis oratione, quam habes 2. Reg. 14. Rhetores orationē huiusmo-
di λέγοντες οὐδὲν διαβολοῦντες vocant.

Cæpta sunt ea parari, quæ construendæ aedi necessaria
esse videbantur, sexto mense. Sed ædificandi initium pri-
mum factum est, vicesimo quarto die noui mensis: eodemq;
illo tempore factus est sermo domini per Haggæum pro-
phetam: quem ille viciſſim ad sacerdotes referret, & for-
mulas quasdam, ad rationem mundi atque immundi spe-
ctantes, eosdem interrogaret, licet interim sacra iamdudum
aliquot antè annis peracta fuerint, extructo videlicet iam
inde statim ab illorum reditu altari, qui primum reduces
ab exilio facti sunt, ubi semel redierant. Viētū enim ab
illis immolabantur, templo nondum etiam extructo: cuius
instaurationem, altaris erectorio nouemdecim annorum in-
tervallo occupauit. Sed quī illud factum est, ut reliquo illo
toto tempore, quo sacra peragebātur, nihil eos hac de re in-
terrogari: quia nimirum status & sacrīs peragendis dictus
ille dies nondum aduenerat, ad illud usque tempus, quo
templi instaurationem aggrediebantur. Sic dicit domi-
nus exercituum. quod ille viciſſim ad sacerdotes refer-
ret. Interim enim dum interrogat, domini personam gerit,
qui eidem prior dixerat, interroga quæſo sacerdotes
legem: ac si diceret, formulam qua quid mundum aut im-
mundum

COMMENTARII KIM HI

mundum censeri debeat. Si portauerit quispiam, &c.
Ad immundiciæ formulam pertinet quæstio illa, quam
hoc loco proponit, ut experimentum sumeret, an eandem
obliuioni tradidissent, interim dum exilio captivi teneban-
tur. Interrogat autem hūc in modum: Si portauerit quis-
piam carnem sanctam in ala vestimenti sui. nempè
qui reptile aliquod forte attigit, si carnem deinde sanctifi-
catam ora suæ vestis gestauerit. perpende verò mihi dili-
genter, & vide primo immundiciæ loco fimbriam aut oram
vestis pon. Secundò deinde carnem sanctam. & tetigerit
ala sua panem. Alæ nomine, id quod alæ adhæret, intel-
ligit, nempè carnem. Quod si ea postea panem, pulmētum,
vinum, oleum, aut id genus esculenti quidpiam attachu suo
affecerit, num sanctificabitur? an immundum reddetur
edulium illud, quarto iam immundiciæ loco positum? parés
enim & origo iam dictæ immundiciæ reptile fuit. Ala de-
inde primo loco ponitur: secundo caro sancta: tertio panis,
esculentum, poculētum eiusmodi, quod carnem prædictam
contigit: quarto demum sequitur edulium, quod istis ad-
hæsit: ac de eo iam interrogat, quarto (ut dixi) loco distan-
te, an vna cum cæteris immundum pollutumque censeri de-
beant. & respōderunt sacerdotes, & dixerunt, Non.
Ratio est, quia de edulio solo querebatur: præsertim quum
dicat, num sanctificabitur, in singulari, non autem, num
sanctificabuntur, in plurali numero. Reperiuntur porro in-
ter maiores nostros, (quorum memoriam lubenter usurpare
debemus) qui responsum hoc ita interpretentur, quasi in eo
lapsi fuerint sacerdotes: quoniam & quartum quoddam ge-
nus est, quo quid in templo positum censeri debeat. Cate-
rūm, quod ad secundam quæstionem attinet, qua interro-
gatur,

gatur, Si mortuo pollutus ista omnia tetigerit, rectè
 eos respondisse putant, in hunc sensum: Si polluta fuerit a-
 la illa eo immundiciae genere, quo & anima pollui dicitur,
 (nempe mortui cadaveris contactu) ala iam eadem parens
 immundiciae inuenietur: cui caro tāquam proles adhæreat.
 Secundo dein loco panis, pulmentum, aut liquidi quidpiam
 ponatur: tertio sequatur edulium. tum respondentes fa-
 cerdotes dixerunt, Polluetur. Persuasi nimirum, quod
 tertio gradu immundiciae contineretur, pro immundo ha-
 bendum, non itidem quod quarto. Quae res eos fefellit: quo-
 circa subiecit propheta, aitq., quicquid attulerint huc,
 immundum erit. Ceterum alij (quorum diis manibus
 fausta sint itidem & fælicia omnia) neutri responso, erro-
 ris quicquam inesse arbitrantur. Est qui sentiat, quinto loco
 ponendum, q̄ eos primum interrogauit: atque hac ratione
 nequaquam sacerdotes aberrasse à vero, quum responde-
 rent, non esse illud pro immundo habēdum. Alius in ea op-
 nione est, ut existimet prius illis propositam fuisse interro-
 gationem, quam quicquam in æde sacra de quarto genere
 definitum foret: ac proinde rectè eos respondisse autumat:
 illudque quod subiungitur, quicquid attulerint huc,
 immundum erit, ita accipiendum esse. Quanvis enim
 uero ita se res habeat, quòd formulæ quidem & rationes
 mundi atque immundi minimè illos lateant, quicquid ta-
 men ab illis ad me adferetur, perinde est, ac si immundum
 contaminatumque foret, quādoquidem in extruenda æde,
 frigide se se atque oborpescētum in morem gerant: id quod
 sententiae ipsius verba innuunt, nequaquam scilicet eosdem
 errasse, maxime quum nihil aliud in uniuersum illis vitio
 vertat, quam quod ad eadem sacram spectet. num sanctifi-
 c

COMMENTARII KIM HI

ficabitur? id est, num polluetur? tantundem ac si dixisset, interdicendum illi consortium aliorum, reprimendum ac cohercendum esse: quemadmodum & Ionathan Chaldaeus paraphrastes reddidit, num prohibebitur? & in nonnullis exemplaribus: num polluetur? de posteriori quæstione qua illicis verbis continetur, & dixit Haggæus, in superioribus iam dictum est.

Et respondit Haggæus, & ait: Sic est populus iste, & sic gens ista coram me, dicit dominus, & sic est omne opus manuum eorum, & quicquid attulerint huc, immundum est.

Sensus totius quæstionis hoc recedit, ô popule, qui altari tantum extucto & diruta domo mea, hostias mihi offers in altari, & victimis eiusmodi & carnis te sanctificari putas, scito non tam te sanctificari illis, quæ templo diruto tibi prodeste non poterunt, quam contaminari omnia opera tua & cuncta quæ agis, ex eo quod supinè ac negligenter te ipsum geras, & tuam magis domum quam meam extruere conciris. Sanctum quidem est quod offertur in altari, sed non tam sanctificaris ex hostiis, quam pollueris, ex eo quod in laqueatis ædibus habitas, & interes mortuis operibus. Vnde colligi poterit frustra aliquem munera offerre Deo, & eleemosynis atque oblationibus putare Deum posse placari, quem ipse non extruxerit in se templum spiritui sancto.

ταῦροια propriè dicitur. Nam idem aliis atque aliis verbis iteratur. Aut si maius, populi nomen ad sacerdotes, gentis vero appellationem ad reliquos Israëlitas referas. Communem enim omnium culpam fuisse intelligit, eam quæ in ædem sacram admittebatur. Sacerdotalis vero officij fuerat, populum ad eius instaurationem communefacere. Sensus verborum hic est. Quemadmodum pollutum vos illud esse respondeatis, quod ego iam pridem interrogavi, ita polluta mihi videntur quæcunq; à vobis geruntur: adeoque sacerdotum quoque oblatio pro sordida apud me habetur. præsertim

præsertim quum templo nondum instaurato victimas altari imponant, posthabita interim mei nominis illustrandi cura, quam nullam prorsus habent.

Nunc igitur apponite cor vestrum ab hoc die in superiora tempora, quum opus ædis dominicæ adhuc nondum continuari cœptum esset. Quum ipsi venirent ad aceruum viginti satorum, decem tantum erant: & quum veniret quispiam in torcular, ut hauriret quinquaginta vrnas, erant viginti: percussi vos carbunculo, & robigine, & grandine: omne opus manuum vestrarum, nec tamen vobis-
cum, quod me attinet, dicit dominus.

Superiorum temporum mala ideo ob oculos proponit, ut certissima diuinæ iræ iudicia ea haec tenus fuisse intelligent, & pœnitètia deinceps emendent, quod iustissimā illam Dei iram erga se prius prouocauerat.

Ab hoc, inquit, die, à quo cœptum est hoc ædificium: & ita deinceps, apponite cor vestrum. Quum opus ædis dominicæ adhuc nondum, &c. quasi diceret, perpendite quomodo se res vestre habuerint, prius quām operis initium factum fuerit, & quo deinceps loco futuræ sint, ubi iam operi manus admouistis. Cæterū, quod ad prima templi fundamenta attinet, erant illa quidem iacta, quo tempore extruebatur altare. Sed per aduersarios stetit, quominus ad finem usque perductum fuerit ædificium: ut testatur Esdræ libellus. Ionathan hanc sententiam in hunc modum paraphrasticōs exprefsit: quum adhuc non esset lapidum series in ordinem disposita, &c. Quum adhuc nondum, nempe quum ad ædificandum nequaquam animos appellerent, facile ipsis erat intelligere, hoc quicquid erat mali me authore euenisse. Nam quum quis accederet

c ij ad

COMMENTARII KIM HI

ad aceruum viginti satorum, verbi gratia, ad aceruum frumenti, è quo viginti sata (pro eo ac par erat & expectationi suæ consonum) desumpturum se sperabat, decem tantum erant. Id enim uero non aliunde quam ex maledictione illa proueniebat, me authore immissa. quinquaginta, batos scilicet è torculari expressos: quorum loco Chaldaeus paraphrastes, quinquaginta dolia vini vertit. Verum nimuero quod ad numeros illos attinet, qui hoc loco ponuntur decem ac viginti, non sunt illi quidem strictè ac concisim interpretandi. accidit enim aliquando, ut ne media quidem ex parte, plus minus, eadem plena inuenirentur: qua etiam ex re perspectior multò, magisque clara euadat ea, quam iam dixi maledictionem. percussi vos. Omne opus manuum vestrarum. id est, in omni negotio quod aggredimini.

Applicate quoso cor vestrum à die hoc in posterum, à die nempe vicesimaquarta noui mensis, ab ea die qua fundatum est templum domini, applicate cor vestrū. Num adhuc est semen in horreo? num adhuc vitis & ficalnea, malum Punicum & arbor oleæ nihil tulit? ab hoc die fecunda reddam.

Hoc mense futurarum nulla sunt signa frugum. Ne igitur dicatis hoc me prudenti ratione coniicere, & futuram fœcunditatem ex floribus arborum herbisque segetum suspicari, ecce nulla signa sunt, & tamen ego prædicto vobis, quia cœpistis ædificare templum meum, futuram benedictione mea rerum omnium copiam & libertatem, loco penitentiae, qua haec tenus laborasti.

A die qua fundatum est templum. Fundamento nimirum imposta & inducta structura reliqua: iactum enim iam olim fundamentum fuerat, quo tempore erigeretur altare. Num adhuc est semen in horreo? Videte an

*an supersit adhuc semen in horreo. Multa enim eius in se-
mentem exposita copia, peregrinū oportet esse, quod reli-
quum vobis fecistis ad eum. At vero in posterum ubi iam
semel ædis instaurationi manus admonistis, equidem im-
mittam benedictionem, tam in id quod reliquum sit in hor-
reo, quam quod terre gremio concreditum est. Num ad-
huc vitis? Itidem nec vitis adhuc, nec ficus, nec malū Pu-
nicum, nec arbor oleæ quicquam protulit, tempore scilicet
impræsentiarum haud opportuno vel foliis, vel fructibus
emittendis. Hoc enim in mensem nouum (qui Nouembri
Romanorum maiori ex parte respondet) inciderat. Cæte-
rū in posterum ego illa omnia benedictione mea digna-
bor: atque ex ea fiet, ut fructum tum uberem, tum suauita-
te præstantem adferant. Arborum porro illiusmodi memi-
nit, quarum magna est copia in terra Israëlitica, ut constat
Deuter. 8. ubi ait: Terra frumenti & olei, vitis, fucus, ac ma-
logranati, terra olei & mellis. Nouum tamen & admirata-
tione dignum videri potest, quod de olea arbore dicitur,
eam adhuc nihil protulisse: quippe cui mensis octauus ac
nous opportunus esse soleat ad ferēdos fructus. Fieri tamē
potuit, ut maledictio illa, quæ iam ab initio omnia paſsim
inuaserat, huic quoque in mora fuerit, ne in gemmas ac fru-
ctum solito tempore erumperet.*

Factūque est verbum domini secūdō ad Hag-
geum, vicesimaquarta mensis, dicens, Loquere ad
Zorobabelem principem Iehuda, in hāc sentētiam:
Ego commoueo cœlos & terram, & subuertam so-
lium regnorum, & eneruabo robur regnorum gen-
tilium, subuertāmque currum & vectores eius, &
descendent equi & milites eorum, quisque gladio

c iij fratris

C O M M E N T A R I I K I M H I

fratris sui. In die illa dicit dominus exercituum, assumam te ô Zorobabel, fili Salathielis, serue mi, dicit dominus & ponam te ut annulū signatorium, quia te elegi, dicit dominus exercituum.

Prædicta futura asperrima bella, sed in mediis illis se sartum te&um conseruaturum Zorobabelem, adeoque loco etiam honestissimo cum habiturum, & in ea cura, qua annulus charissimus haberi solet.

Serue mi, ita vocat pater filium suū Messiam, eo quòd fecerit ipsius voluntatem, & minor sit patre quoad humanam naturam.

Factum est verbum domini secundò. Eodem illo die, nēpe vicesimoquarto noui mensis, bis enim uno eodemque die prophetam alloquebat. loquere ad Zorobabelem. Metaphoram adhibet ad ea bella exprimenda quæ sub regno Persarum gesta sunt. iubet eadem Zorobabeli fausto omni prædicere certiorēmque eum reddere de futura rerum suarum conditione, cui tantū aberat, ut aliquid ex illis bellis de pristina dignitate detraheretur, ut magnum quid eidem accessurum foret. id quod illis verbis innuitur, quibus ait, assumam te ô Zorobabel, & ponam te ut annulum signatorium. Bella enim uero illa gesta fuere vel sub Dario, quem iam diximus, vel Artaxersis ætate, qui ei in imperio succedit. Poteſt & alia esse huiusc prophetae interpretatio, ut de regni Persici euersione, ac Græcorum enascentis imperij origine intelligatur. Subuertam solium regnorum. id quod contigit tricesimo quarto anno ab instaurata æde dominica, quo tempore deleta monarchia Persarum, Greci primū regnare cœperunt. Cui quidem sententiae maiorum quoque nostrorum verba consona reperiuntur (memoria interim eorum suus habet honoros.) Operæpreciū verò fuerit diligenter hoc loco annotasse, quod aiunt. Author est itaque Rabbi Iose,

Iose, florente æde secunda regnasse Persas annos 34. Græcos
 180. Machabæos 103. Herodis familiam 103. En habes an-
 nos quadringentos viginti, quibus ædes secunda floruit. &
 subuertam. de hoc iam suprà dictum est. In die illa assu-
 mam te, ut in gradum multò sublimiore te eueham, quam
 fuerit in quo hactenus constitutus vixisti. Chaldæus pa-
 raphrastes in hūc modum ista reddidit: Admouebo te mi-
 bi: & ponam te ut annulum signatorium. Annulus
 ille quo scribæ ad obsignandas literas vtuntur, signatorius
 appellatur: cuiusmodi mentio etiam fit Cantic. 8. ubi ait:
 Pone me loco annuli signatorij, &c. Annulus porro hu-
 iuscemodi ad manum semper præsto esse solet, nec interdiu,
 nec noctu diuelli. Significatur autem illis verbis asidua &
 diligens quædam cura, quam Deus Opt. Max. eius con-
 seruandæ saluti adhibiturus erat. Magnam enim uero pæ-
 nitentiæ vim esse animaduerterunt ex hoc loco maiores no-
 stri (quorum lubenter hic memoriam usurpo) utpote quæ
 sententiam vel decretam iam abrogare valeat, prædictum
 iam olim Ieconiae fuerat, Hieremias cap. 22. in hæc verba:
 Scribite virum hunc sterilem, &c. Cæterum eidem, pera-
 cta pænitentia, mutata illa sententia, fæliciter & auspi-
 cato cessit: aliterque multò cum eo actum fuit, ac decretum
 ante a fuerat, aucto nimirum filio, quo tempore captiuus
 adhuc in vinculis detinebatur. Et quanuis iam olim præ-
 dictum fuisset in hanc sententiam, viuo ego dominus, e-
 tiam si fuerit Ieconias filius Ioachim, annulus signatorius
 in manu dextra mea, & cæt. post actam tamen pæniten-
 tiæ dictum illud idem immutatum est: & faustum fæ-
 lixque incipit iam esse quod prius aduersum & male omi-
 nosum fuerat: audirique hoc loco Zorobabel nepos eius-
 dem

COMMENTARII KIMHI.

dem ex filio, ponam te ut annulum signatorium,
contrà planè, ac in superioribus, ubi dicebatur, Etiam si
fuerit Ieconias annulus signatorius in manu dextra mea,
inde euellam eum, &c. Hieremias cap. 22.

Finis Commentariorum Rabbi Dauidis
Kimhi in Haggæum pro-
phetam.

COMMENTARII RABBI

DAVIDIS KIMHI IN ZACHARIAM

prophetam.

Caput 1.

 N mense octauo, anno secundo Darij,
factus est sermo domini ad Zachariam
filium Barachiae filij Iddo, prophetam,
in hanc formam: Iracudia iratus est do-
minus patribus vestris.

Zacharias hic ille est, qui cæsus fuit inter templum & altare, Mat. e.23.
Ira domini non perturbationem eius, qui non irascitur, sed eorum
merita atque peccata significat, digna in quos ira Dei deseuiret. Alio-
qui dominus nunquā iratus vlciscitur, sed ad hoc corripit ut emendet.

Prophetæ nomen ad Zachariam referri debet, quam-
quam fortasse & Iddo propheta fuerit. Sunt enim qui Iddo ^{2. Paralip. 12.}
videntem eum esse arbitrentur: ^{2. Paralip. 13.} ita scriptum reperimus
in commentario, Iddo prophetæ. In hanc formam: quam
ille viciſſim ad Israēlitas referret: ut ipsius verba illa post-
ea testantur: quibus ait, dicēſque ad eos. Alloquere, in-
quit, illos: ut ne unquam memoriæ eorundem excidat acris
illa indignatio, quam Deus Opt. Max. erga maiores ipso-
rum exercuit: eius videlicet ætatis homines, qua vastitas
ædi ſacra inducta fuerat: quo deinceps præſens ſemper ip-
ſorum animis occurrat diuinæ illius indignationis recorda-
tio, ſcelerum ac perditæ illorum vitæ cauſa coceptæ: ac pro-
inde resipientia dueli, ad Deum Opt. Max. quaſi post-
liminio redeant, nec auitis moribus aut patrum uestigiis
infiant. Quin iidem etiam homines, quos ea ætas tulit,
contracta ſibi quadam pigritia laborabant, quo ad ædis do-
minicæ iſtauratiōnem: quam non ante nouum mēſem ag-
d gre-

COMMENTARII KIMHI

grediebantur. Accedebant & alia nonnulla flagitia, quibus obnoxios eosdem fuisse constat ex libello Esdrae.

Dicésq; ad eos : Sic dicit dominus exercituum. Reuertimini ad me, dicit dominus exercituum: reuertárque ad vos, dixit dominus exercituum.

Dicit dominus exercituum : Sæpius occurrit hoc epiphonema, vt sciant dominum esse, qui præcipit aduersus regis imperium & hostes circum frementes, & hac ad ædificationem templi fiducia concitatetur.

Sensus horum verborum satis ex se constat.

Ne sitis sicut patres vestri : ad quos prophetæ priores clamauerunt dicentes : Sic ait dominus exercituum. Conuertimini nunc de viis vestris malis, & de studiis vestris prauis : at non audierūt, neque me attenderunt, dicit dominus exercituum.

Itidem nec his interpretatione opus est.

Patres vestri vbi nā sunt ? & prophetæ num perpetuò viuent? Attamen verba mea, & statuta mea, quæ præcepi seruis meis prophetis, an non patres vestros apprehenderunt? ipsique conuersi dixerūt: Quemadmodum dominus exercituum statuit nobis facere secundum vias nostras, & secundum studia nostra, sic fecit nobis.

An non perspicue vobis videre est, illos pro eo ac à prophetis occinebatur, partim ense, partim peste ac fame exhaustos? Enim uero prophetæ, qui sceleratam eorum viuendi rationem acriter suis verbis insecati sunt, fierine posuit, ut perpetuò vita sua curriculum prorogarent, ac perpetuò eosdem reprehenderent? Quod ad hos quidem attinet, iam olim illis sua scelera vitio vertebat: quum illi tamen haud quaquam se dicto audientes preberent: unde adeo factum est,

est, ut eo planè modo omnia illis euenisce cernatis, quo prædicabantur à prophetis: in quem sensum & illa dicuntur: attamen verba mea, & statuta mea, & quæ sequuntur. Maiores porro nostri (quorum memoriam lubens amplector) populi responsum sub illis verbis (& prophetæ) contineri aiunt: perinde ac si cætus Israëliticus præfracta & pertinaci responso prophetam alloqueretur. Agite, infit propheta, resipiscite: ubinam iam loci sunt sonantes illi ac flagitosi maiores vestri? & ubinam (inquiunt viciſſim ij) ubinam loci sunt prophetæ, insonentes illi quidem ac minimè flagitosi? At iidem postea resipiscientia ducti, apud eum culpam suam sunt confessi, uti illa verba indicant, attamen verba mea, & statuta mea, & cætera quæ in eandem sententiam dicuntur. Per statuta mea, decreta & proposita animi mei intelliguntur, quibus ego, inquit, decreueram, ut ense, fame ac tabida lue periret, ut his malis superstites, exilio sedes commutarent. An non illud vobis pro cōperto habetur, ita prorsus cum illis actum fuisse, ita successisse omnia, quemadmodum ego prædictum ipsi volui, adhibita ad id inseruentium mihi prophetarum meorum opera? id quod iidem ipsi tandem aliquando conuersi, vastata iam & accisa rerum suarum conditione confessi sunt. Atque hoc illud est, quod ait, Ipsiique conuersi dixerunt.

Vicesima quarta die vndecimi mēsis, (is est mēsis Sebat) anno secundo Darij, factus est sermo domini ad Zachariam, filium Barachię filij Iddo, prophetam, in hunc modum.

Equidem haud scio an mensum nomina, prout hic & in libello Esther scribuntur, e Syriaca lingua petantur.
d ij Nuf

COMMENTARII KIMHI

Nusquam enim alibi per uniuersa sacrosancta biblia eadem depræhendimus. Factus est sermo domini ad Zchariam. Aduentu nimirum angeli, qui cum eo verba fecit, ac visum hoc monstrauit, quod deinceps proponit.

Vidi nocte, & en vir insidebat equo rufo: stabatque inter myrteta, quæ in profundo erant: post illum verò equi stabant rufi, varij coloris & albi.

Alludere videtur ad id q[uod] myrti gaudeant locis aquosis & demissis.

Quæ Zachiæ visenda proponuntur, habent illa quidem reconditos in se & abstrusos sensus, æquè ac visa Danielis: id quod idem aliis prophetis nequaquam accidit. Ratio est, eo quod ab elapsō exilio flaccescere paulatim atque imminui cœperit prophetiæ donum: ideoq[ue] nec aperte suam sententiam explicarunt, nec portenti significationem planè patefecerunt. Vidi, inquit, nocte, id est: noctu per quietem aspectui meo tale quid obuersabatur: nempe vir equo rufo vectus. Sententiæ verò totius explicationem huiusmodi à maioribus traditam accepimus (honos interim eorumdem piæ memorie habetor.) Quærebat Deus Opt. Max. mundi fabricam hanc uniuersam in noctem conuertere, & en vir insidebat equo rufo. quærebat, in qua rationem, sanguine effuso uniuersa obruendi. Verum ubi semel ad Hananiam, Misaëlem & Azariam animum cogitatione némque intendisset, deferbuit illico cogitationis iam dictæ sententia: quemadmodum illis verbis habetur, stabatque inter myrteta, quæ in profundo erant. Myrteta vero non sunt illa quidem aliud quicquam, quam viri integritate, iustitiæq[ue] alumni. quo sensu & illud dicitur Esther 2. & is enutriebat Hadasah, quæ & Esther eadem erat. profundi nomine non aliud significatur, quam Babylon. quo

quo eodem modo ab Esaïa appellatur cap. 44. Qui dico profundo exaresce, &c. Equi deinde quibus nigror inerat, varium colorem induunt, & albi euadunt, qui rufi prius fuerant, ut ipse ait. post illum verò equi stabant rufi, varij coloris & albi. atque ita deinceps portenti significationem pro virili interpretabimur. viri nomine angelus Dei Opt. Max. hoc loco intelligitur, aequè ac Danielis 9. ubi ait, Et vir ille Gabriel: ut ipse suis poste à verbis sub finem eius, quo de iam agitur, aperitè testatur. responderuntque angelo domini stante inter myrteta. Cæterum, quod eundem equo insidentem viderit, institutæ legationis accelerationem id demonstrat. Rubor ille cæterique colores non temerè fortassis, sed alicuius rei portendenda causa adhibentur. Evidem à patre eodemque obseruan- disimo domino meo (cuius sacrosancta mihi debet esse memoria) scriptum comperio, Nabugodonosorum equo illo rufo designari: qui auri caput Danielis 2. vocatur. Auri verò color ad ruborem accedit. Ad quatuor enim orbis monarchias huiusc prophætæ vaticinii spectat, aequè ac somnium Nabugodonosori & visa Danielis. Licet enim uero legatos à Deo Opt. Max. emissos, (pro eo ac scriptum habetur) equi parabolicæ significant: illud tamen non impedit, quin iidem quatuor etiam orbis imperia portendant. Quod autem equo sublimis vir ille feratur: idcirco id sit, quia angeli in hæc inferiora potestatem exerceant, & Deus omnia hic in terris administret adhibita eorum opera, qui vicariam illi functionem præstant. Legationis porro huius causa (cuius hic meminit) ad regni Babylonici subversionem pertinet. Cuius quidem regni vis etiam si iam dudum labefacta, prius ruinam passa fuisset, quam præd ij sens

COMMENTARII KIM HI

sens hoc illi visendum proponeretur: reliqua tamen adhuc tria futura in causa erant, quod integrum hoc & nulla ex parte mutilum hic representetur, eadem ipsa forma, qua iam acciderat, seruata. Persae enim iam tum temporis imperio potiebantur, quum visio haec illi obtigit, ut ipse testatur. stabatque inter myrteta: nempe inter cætum Israëliticum. Myrtetis eundem comparat, loco nimirum in quo myrti nascuntur, quibus inest odoris quædam fragran-
tia, non ita multum ei assimilis, quem Israëlitæ audebant, exilio adhuc Babylonico detenti. Nam legem suam quid redolentem, fragrantiamque preceptorum apud se habe-
bant. Quod medio porro loco inter eos consistentem vi-
derit, in eum sensum ab eo dicitur, ut ostendat opis illis
ferende causa & exilio manu mittendis exhibitum. pro-
fundum, ut iam supra diximus, Babylonem signifi-
cat. Seruc (quod hic Hebraicum vocabulum habes) species
quædam est coloris, haudquam certo apud nos cogniti,
qualis ille tandem sit. Nonnulli Seruckim pectinatos in-
terpretantur, sed insulæ. Animaduertas autem hoc loco
diligenter velim, in eo quod in præsentiarū visendum pro-
ponitur, Seruckim.i. varij coloris equos, nigris ex aduerso
respondere, quorum alibi mentio fit, ubi plaustra quatuor
per visum contuenda monstratur. Jonathan pro Seruckin
hoc loco varios vertit, aut ut aliis codex habet, diuer-
sis coloribus distinctos. Verisimile autem fuerit, hos equos
fessorem non habuisse. Qui vero equo illo sublimis vehe-
batur, dignitate cæteris legatis anteibat: & idcirco subli-
mem eundem in equo conspexit. post illum vero equi
stabant rufi. Quodquidem equo illo superiori rufo Na-
buchodonosorum designatum diximus, agendum, filium eius-
dem,

dem, & ex filio natum illi nepotem, equis his rufis signifi-
cari dicamus. Suntq; hi quos iam diximus, prioris quidem
plaustri loco positi. Sensus verborum, quibus varij coloris
& albos nominat, ita accipi debet, ac si rufo proximè suc-
cessisse varij coloris equos dixisset, post illos viciissim albos
stetisse. Nihil autem hic occurrit, quod quarto plaustro ex
aduerso respondeat, quippe quod longo post intervallo tēpo-
ris euenturum, in præsentiarum nequaquam viderit: etiam
si alias idem illi per vi sum occurrerit.

Dixi autem, qui sunt isti, domine mi? dixitque
ad me angelus, qui mecum loquebatur: Ego ostendam
tibi qui sint isti. Respondit ergo vir ille qui in-
ter myrteta stabat, dixitque, hi sunt quos dominus
misit, ut perambulent terram. Responderunt au-
tem angelo domini stanti inter myrteta, & dixe-
runt, Perambulauimus terram, & en vniuersa terra
sedet & tranquilla est.

Equi pro iis, qui equis insidebant, intelligendi sunt. Sensus est: Post
eum erant tres turmæ angelorum. Angeli enim diuersa Dei mandata
quām celerrimè exequuntur: & ob id equis insidere dicuntur.

Hic ille est de quo superius dicebatur, Angelus domini
loquebatur ad Zachariam, &c. Pro eo autem quod latinè
hic dicitur ego ostendam tibi, Hebraica ita sonant,
equidem efficiam ut videoas, quum propriè tamen dicen-
dum fuerat, ego te audiendo certiorem faciam. Nihil enim
aliud præterea visendū illi proponit, quām equos iam inde
ab initio conspectos. Ostendendi fortasse vocabulo, pro eo
quod est certiorem facere aut explicare, vtitur. Nam vi-
dendi vis, quum sit cæteris omnibus præstantior, ad reli-
quos etiam sensus impropriè referri atq; accommodari plæ-
runque

COMMENTARII KIMHI

rūnque solet: ut Exodi 20. Totūsque populus videbat tonitrua. Itidem Genes. 27. Vide fragrantiam odoris filij mei. Quanquam & illud interim à ratione prorsus alienum non erit, si quis ostēdendi vocabulum simplici ac literali suo sensu interpretetur. Aliud enim visum eadem de re intelligit, quo cornua illi quatuor visenda proponit, quorum explicatio quanvis non nisi eodem interprete ipsi postea innotuerit, multò tamen quam huius portenti vis & significatio facilius apertiorque habetur. Respondit ergo vir ille, nempe qui equo vehebatur. Audit verò prophe-ta, vel non interrogatum, respondentem tamen angelum, dicentemque sibi, equos illos legatos quosdam esse à Deo Opt. Max. emissos orbis peragrandi causa, quo modo Iob. 1. & 2. dicitur: A peruagando & perambulando in terra. Potest enim uero & hic esse sensus: ut angelus ille, qui equo sublimis vehebatur, nequaquam hisce verbis prophetam excep-erit, sed eodem modo respondendi vocabulum hic inter-pretemur, quo Deuter. 26. ubi dicitur: Respondebisque & dices. Itidem Iobi 30. Et respondit Iob primo loco: Ecce enim tibi prophetam audientem, quo modo is quem equus sublimem tergo ferebat, compellarit reliquos illos à Deo Opt. Max. terrae perlustrandæ gratia emissos, & interro-garit, ecquid verum in terris ageretur. Cui viciſſim bi-respondent, aiuntque, perlustrauimus terram, eandémque vidimus sedentem & tranquillam: eritque hoc modo & vtrī πάσις, recti pro obliquo casus positio, hi pro his. id quod loquēdi Hebraico sermo idem 2. Reg. 15. obseruatur: David. i. Dauidi nuncianuit quispiam dicens: Achitophel est unum cum his qui conspi-rarunt. Itidem 4. eiusdem: Filius. i. filio Saulis duo fuere prefecti copiarum, aliisque id genus locis. & responderunt.

De eo

Phrasis hæc
loquēdi He-
braico sermo
ni propria est

De eo iam supra dictum est. sedet & tranquilla est. Pacatas, inquiunt, ac bene compositas res aliarum quidem gentium vidimus, sed male cum cætu Israëlitico actum, quippe qui miseriis undique atque angustiis opprimatur. Et idcirco respondet angelus in hæc verba: Quovsque tu non misereberis Hierusalem?

Angelus autem domini respondit, dicens: Domine exercituum, quovsque tu non misereberis Hierusalem & vrbiū Ichuda, quibus tu succes̄is iam est annus septuagesimus. Et respondit dominus angelo, qui mecum loquebatur verba bona, & sermones consolatorios.

Angelus hic ille est, qui inter myrteta stabat, præsto ad opem ferendam Israëlitis, aut (quod rectius etiam fuerit) qui prophetam alloquebatur. quovsque tu non misereberis Hierusalem? Tantiſper enim dum exteræ nationes pace fruerentur, domum repetendi Israëlitis potestas libera nequaquam fuit usque ad eversum regnum Babylonicum. At enim uero quod ad præſens quidem viſum attinet, iam dudum elapsum fuerat, quod eodem portendebatur, quo tempore hoc viſendum propositum fuit: nec illud tamen obſtitit, quominus id quod iam olim elapsum fuerat, intuendum prophetæ monſtraret, quo certiore eundem redderet, doceretque, cum pacem, tum interitum regni Babylonici, omnia breuiter à Deo Opt. Max. pēdēre: cui vicariam suam operam in rebus administrandis moderatores angeli nauant. Futurum præterea ut iidem accurate rebus Israëlitarum studerent: eodemque etiam modo de reliquis illis tribus imperiis (quaæ adhuc futura erant) ac eorundem subuersione aliquando actū iri intelligeret (Dei ad id ope-

COMMENTARII KIM HI

ra voluntatéque adhibita) quo iam illi monstrarat regno Babylonico euenisce: cuius iamdudum tēpus elapsum fuerat. quibus tu succenses, is iam est annus septuagesimus. Si ad præteritum referas, ita ut nos interpretati sumus, anni erunt illi quidem septuaginta, quibus imperium Babylonicum perststit, nec interim quicquam de indignatione ea remittebatur, quanto tempore penes Nabugodonoſorum rerum summa fuit. Aut illud fortasse tēpus inteligit annis his septuaginta, quo visum hoc illi proponebatur, nempe secundi anni Darij, abſoluto iam tum pri- mūm ab excidio urbis Hierosolymitanæ septuaginta annorū ſpatio. Quanuis enim uero res ita ſe habeat, quod hoc illi viſendum propositum fuerit, eo mēſe qui Sebat dicitur, & Ianuario noſtro reſpondet, ædificiique ſtructura à nouo mense originem traxerit, haud illud tamen impedit, quoniam eo uisque perſeueraſſe dicatur eadem illa indignatio. Tantisper enim dum operi extruendo incumbebant, non licuit illis per hostes à bello unquam feriari.

Dixitque angelus mecum loquens: Clama, & dic: Sic ait dominus exercituum: Ingens est amor meus erga Hierusalem & Sionem. Rursus vehe- menter iratus sum gentibus opulentis & ſecuris, & ego parum indignatus sum: illi autem ad malum auxiliati ſunt.

Grauius affixerunt populum meum quam volebam.

Verba, inquit, illa fausta & bona, quibus Deus Opt. Max. mecum egit, idcirco habita ſunt, ut ego eadem vi- ciſſim ſolatiij adferendi cauſa audiēte populo Iſraēlitico re- citarem. Quas deinde gentes opulentas vocat, easdem ſu- periūs, terram ſedentem & tranquillam appellauit.

Ego

Ego parum indignatus sum. Leuiter quidem Israëli-tis succensui, adeò ut in exilium è suis sedibus migrandi, solia natalis vertendi author illis fuerim. Sed leue quid hoc erat, præ eiusmodi malis, quibus iidem postea in exilium abducti, ab his excepti sunt. Ad malum auxiliati sunt. Mala malis addendo semper: idq; etiam præter omnē modum. Simile quid Esaiæ 47. occurrit: Evidē iratus eram populo meo, ut prophanarem hæreditatem meam, & tra-derem eam in manum tuam: tu verò affectu miserationis non cōmota es erga eos, quin super senes degrauasti iugum tuum supra modum.

Idcirco sic dicit dominus: Conuersus ad Hierusalem in intimis visceribus, ædes mea ædificabitur in ea, dicit dominus exercituum: & regula ex-tendetur ad Hierusalem. Adhuc ultra clama, dicēs: Sic dicit dominus exercituum: Adhuc redundabunt ciuitates meæ præ fœlicitate, & consolabitur dominus Sionem, & adhuc eliget Hierusalem.

In dictione Hebraica, quæ regulam significat, & eius-dem formæ est cum Nauah, exprimitur quidem He litera, sed eadem inter legēdum sono destituitur. Significat autem perpendiculum fabrile, seu lineam illam, supra lapidum seriem extensam. Redundabunt ciuitates meæ præ fœlicitate. Hac atque illac sese diffundent, præ magna bo-narū rerum pacisque copia, qua fruentur, perinde ac si habitationem auctam iri dicat.

Sustuli autem oculos meos & vidi. & ecce qua-tuor cornua, dixiq; ad angelum qui mecum loque-batur, Quid sunt hæc? & dixit ad me, Cornua sunt quæ disperserunt Iehudā, Israëlem, & Hierusalem.

COMMENTARII KIMHI

Prædictis destructionem quatuor imperiorum, & bonis futuris preterita mala se compensaturum narrat, idque etiam tam cumulatè, ut redundaturæ sint eorum ciuitates præ felicitate.

Aliud quidpiam hoc loco, priori portento significantius, iteratò eidem visendum proponitur: perspectum enim ex eo cognitumq; illud habebat, cornua idcirco adhibita, ut ventilandi eiiciendique vim quandam exprimerent. æquè ac Deut. 33. dicitur, *Vbi cornua*, inquit, *illius*, ut cornua unicoris, quibus populos deturbabit pariter, &c. quanuis hoc interim eum lateret, quibus eadem cornua cōpeterent. Sunt porrò quatuor illa cornua totidem regnorum typi, nempe Babylonici, Persici, vna cum Medorum imperio, Græci, atque Romani. Quò eodem spectat & Ionathæ Chaldaica interpretatio, quæ disertis verbis quatuor regnum meminit. Pessimè autem excepti sunt Israëlitæ à quatuor his regnis, quæ iam diximus, ut angelus ipse suis etiam verbis testatur, ubi ait, quæ disperserunt Iehudam, Israëlem & Hierusalem. Eò usque, inquit, cornibus eos extegitarunt, ut in hanc atque illam partem dispersos eosdem egerint. Suo quæque opportuno tempore damna illis intulerunt. Nam quod ad regnum quidem Persarum attinet, tametsi sub eius initium exilio manumisi in patriam post illino redierint, poste à tamen sub tempora Artaxersis primi, ac deinde etiam regnante Assuero, ad secundum usque Darij annum, iniquius paulò cum illis actum fuit.

Ostendit autem mihi dominus quatuor fabros lignarios, dixique, quid isti facturi veniūt? Respondit, dicens: Ista sunt cornua quæ disperserunt Iehudam, ita ut nullus attollere caput suum ausus sit. Veneruntque isti ad terrénum eos, ad deiiciendum cornua

cornua gentium quæ sustulerunt cornu super terram Iehudæ, dispergendo eam.

In verbo ventilandi, siue dispergendi, metaphora ducta est à bobus iratis, qui hucatque illuc obvia quæque dispergunt.

Tantundē est ac si dicat fabros ideo adhibitos, ut cornua illa succideret, & singulis regnis singulos adesse fabros: unde priori semper exitium immineat. Nam imperium Babylonicum Persarum opera euersum est: Persarum deinde potestas à Græcis sublata periit: Græcorum imperium Romani pessum dedere: Romanis olim opera Israëlitarū suus interitus imminebit. Aut si lubuerit, fabrorum hic nomine, parabolicos angelos illos intelligas, penes quos opum dignitatisque authoritas in regnis administrandis sita est. Ceterum maiores nostri (quorum memoriæ suus honos habetur) ad Messiae tempora hæc verba referunt. Quidnam, inquiunt, sibi volunt hi quatuor fabri? Cui viciſſim interrogatori⁹ respōdet Rabbi Simeon, cognomento Pius, Messiam indicari, Dauidis pariter & Iosephi filium, Eliam, iustitiæq; sacram alumnū. ita ut nullus attollere caput suum ausus sit. Eò usque, inquit, progressi sunt exagitando disiiciendōq; populum Israëliticum, ut nemo quisquam eorum obtuētibus illis, vel caput attollere ausus fuerit. Jonathan in hunc eundem sensum Chaldaïca reddidit: ait enim, nec erecta corporis statura incedere liberum fuit. Ad deiiciendum. i. ad præcipitandum, idq; adeò magno impetu: quæ verbi significatio Threnorum 3. eadem occurrit: Et magno, inquit, impetu lapidem in me iecerunt.

Caput 2.

Sustuli autem oculos meos, vidique: & ecce vir quidam, in cuius manu funiculus mensorius, di
e iij xique,

COMMENTARII KIMHI

xique, Quo tu yadis? qui respōdit mihi, Ut dime-
tiar Hierusalem, & videam quāta sit latitudo eius,
& quanta eius longitudo.

Prēdicitur instauratio & felicitas vrbis Hierosolymitanę per quam
intelligi debet Hierusalem spiritualis: cuius neque latitudo, neq; lon-
gitudo certa futura erat, quia careret muris. Vrbes enim sine muris se-
se diffundere possunt, quantum necessitas postulabit. Carebit illa qui-
dem muris materialibus, sed habebit muros multò fortiores, nempe
opem diuinam.

*Ad aliud iam visi genus sumpto hinc initio progre-
ditur: quod ad Messiae tempora non ineptè referri poterit,
æquè ac illa quæ Ezechieli visenda proposita tum tempo-
ris fuerunt, quum angelus longitudinem latitudinemq; ur-
bis Hierosolymitanæ metiretur. funiculus tensorius,
qualem vulgo metiendis rebus adhibere solent. Fuit autem
hic alias quispiam, non idem ille angelus, qui prophetam
alloquebatur.*

Ecce autem angelus, qui mecum loquebatur,
egressus est, & alias angelus ei obuiam egredieba-
tur, dixitq; ad eum: Curre, & loquere ad iuuensem
istum, dicens: Vicatim habitabitur Hierosolyma,
præ hominum & iumentorū, qui in ea erunt, mul-
titudine. Ego quoque ero ei, dicit dominus, murus
igneus circūque, eroque gloria in medio eius.

*Ipsé quidem nequaquam suis verbis hæc ad eum refert,
quandoquidem alium prius cum eodem colloquia miscen-
tem iam inde ab initio viderit. Iubet ergo conceptis in hanc
formam verbis eum alloqui: fore nimirum, ut quanuis iam
pridem angelum certa quadam mēsura tum longitudinem,
tum latitudinē vrbis Hierosolymitanæ describentem aspe-
xerit, ea tamen vicatim habitetur, nec ullis includatur
mœniis.*

mæniis: id est, ut multi foris extra urbem illam habitent, quibus capiendis vrbs ipsa nequaquam suffectura videbitur. Et quanuis iam longius multò, latiusque pateat, quam pro prioris ambitus ratione, multi tamen foris extra eandē in vicis cōmoraturi sunt, quibus nec mænia, nec valuae, nec alia vlla repagula adsint: idq; adeò magna etiam cum animi fiducia, nullo prorsus alicunde impendente metu. Nam ego ero ei, dicit dominus, murus igneus. Quòd autem iuuem illum appeleret, ex eo fortasse factum est, quia non ita multū ētate annisque prouectus fuerat, quo tempore propheticō spiritu afflatus est: id quod Samueli atque Hieremiacē idem accidit. Aut quia propheta cuiquam eminentiori inseruerit: idcirco iuuensis aut pueri nomen ei impositum fuit, Minister Mosis Iehosua filius Nun puer, Exodi 33. Ego ero murus igneus: ut nemo quisquam sine suo magno malo damnum Israēlitis inferre posset, & què ac ignem nemo attingit, quin eiusdem attactu lēdatur. Erōque gloria in medio eius. Gloriā nomine subsidio se illis futurum intelligit, ut in Esaiā vaticinio, cap. 4. expressum habetur: Et creabit dominus super omnem habitationem montis Sion, &c.

Heus, heus, fugite de terra Aquilonis, dicit dominus, quia ad quatuor ventos cœli disieci vos, dicit dominus. Seruare ô Sion, quæ habitas apud filiam Babylonis. Quoniam sic dixit dominus exercituum, propter gloriam misit me ad gentes, quæ vos spoliāt. Qui enim vos tāgit, pupillā oculi eius tangit. Ecce enim ego agito manum meam super eos, patebūntq; prēdæ his quos seruitute presserūt, sciētisque quòd dominus exercituum me miserit.

Hortatur

COMMENTARII KIMHI

Hortatur Synagōgam, ut deserta idolatria veniat ad Christum.

Affligetur vehementer, id quod Iudeis in direptione urbis sua accedit. Vide Iosephum lib. 6. & 7. de bello Iudaico.

Patebunt prædæ Tyranni, qui prius affligebant ecclesiam, postea ad fidem conuersi euident serui ecclesiæ.

Euocandi quidam modus his verbis exprimitur Heus, heus, idemque ad maiorem emphasis iterato dicitur, quemadmodum et eo loco ubi seruare, inquit, o Sion. Quod postea fugam e terra Babylonis capessendam suadeat, id ad eos pertinet, qui reliqui adhuc apud Babylonem manferant, nec inter primos patriam repetierant, quo deinceps festinatè se Hierosolymam reciperent, etemque dominicam instaurarent, ut potè cuius iam instaurandæ tempus opportunū aduenerat. Quia ad quatuor ventos cœli. Quod de capessenda fuga iam proximè à me dictū est, non alio, inquit, spectat, quam ad eos qui Babylonē captiui abducti fuerūt, quemadmodum ipse ait. quæ habitas apud filiam Babylonis. Nam quod ad reliquos Israëlitas attinet, multò illi quidem remotiores sunt, quippe quos in exiliū disiectos egerim, haud multo minori interuallo à se in uicem distantes, quam quatuor cœli venti à se mutuo separantur: quibus verbis quatuor mundi plagas, quam longissimè alias ab alia disiunctas intelligit, orientem nempe ab occidente, et à septentrione meridiem. Eodemque fere modo Israëlite alijs ab aliis inter exilium distabant, quibus adhuc nequaquam opportunum redeundi tempus adueniat: Iudeis tamen in exilium abductis matura iam omnia erant, ad redditum capessendum. Ideoque seruare, inquit, o Sion: familia videlicet Iudaica et Beniamitica, Sionis incola. Maiores porro nostri (quorum lubenter meminisse debemus) subtilius paulò quatuor ventorum mysticam interpre-

terpretationem in dagarunt, aiuntq; perinde fieri non posse,
ut sine Israëlitico populo suas vires orbis retineat, atq; im-
possibile est ut sine quatuor ventis subsistat uniuersum.
Post gloriam misit me. Post gloriam, inquā, illam, qua
vos mactos animi esse, certāmque fiduciam cōcipere iubet,
pro eo ac in superiori vaticinio prædictum fuerat, fore ut
vndiq; cingeretur, ubi aiebat: Erōq; gloria in medio eius.
Deinde misit me, inquit, ad gētes quæ vos spoliant. Non
enim satis est Deo Opt. Max. malis huiusmodi, quæ vobis
inter exilium obtigere, beneficia rependere, nisi vindictam
etiam sumat de aduersariis, qui vos vestris bonis exuerunt.
Qui enim vos tangit, pupillam oculi eius tāgit. pu-
pillæ nomine, viri illa imaguncula significatur, quæ in oculo
cernitur. Non impunè feret, qui vos aliquo malo multa-
uerit, haud aliter cum eo agetur, atque cum homine eo agi
solet, qui uirgunculam oculi sui tetigit: facile enim eandem
eruerit, si duriuscule cōtrectarit. Pari enim uero ratione suo
sibi iumento malum accerset, qui vobis animo nocendi ma-
nus iniecerit. Erūntque prædæ his quos seruitute
presserunt. Intelligit aliquando futurum, ut Israëlitarum
prædæ pateat eadem illæ gentes, quibus olim seruam operā
nauabant, interim dum in exilio captiui tenerentur. Scie-
tisque, quum præfinitum huiusc prophetae tempus adue-
nerit, nempè sub tempora Mæsiæ, quòd dominus mi-
serit me.

Iubila & gaude filia Sion. En enim ipse venio,
& in te habitabo, dicit dominus. Adiungentur de-
nique gentes multæ ad dominum in die illa, erūnt-
que mihi populus. In medio autem tui habitabo,
sciēsque dominum exercituum me ad te misisse. Et

COMMENTARII KIM HI

hæreditate possidebit dominus Ichudam tāquam partem suam, in terra sancta, & rursus eligit Hierusalem. Conticesce omnis caro à conspectu domini, quoniam de domicilio sanctitatis suæ excitatus est.

Silete à blasphemis, qui estis adhuc carnales. Alioqui futurum est, ut de vobis pena sumatur. Surgere enim dominus dicitur, & quasi à somno euigilare, quando consurgit in vindictam.

Iubila & gaude. Hæc omnia de Christo etiam secundum Hebreos intelliguntur.

Par erit & rationi consonum, ut hæc omnia ad ea usq; verba è domicilio sanctitatis suæ, ad Messiae tempora referantur: præsertim quum dicat, adiungentur deniq; gentes multæ: itidem, conticesce omnis caro. Non enim hactenus quod viderimus, mihi videre tale quid sub æde instaurata contigit. Quæ reliqua sunt in hac sententia, ad ædem quam iam instauratam diximus, eorum quidem vis & significatio pertinet, utpote de Iehosua & Zorobabele dicta. Adiungendi vocabulo multitudinis copia, & frequens hominum confluxus designatur. Alioqui quod ad sensum verborum attinet, satis ex se constat. Hæreditate possidebit dominus Ichudam. familiam, inquit, Iudeæ, quæ aliás hæreditario iure domini portio appellatur, tum temporis ita sibi propriam Deus Opt. Max. vendicabit, ut in hæreditatis loco futura sit in terra sancta, id est, ut exilio defuncta, cedat in peculium eiusdem in ea ipsa terra, quæ sanctissimo illius nomini dicata dicitur. Atque hæc quidem sententia respondet ei quod aliás Deut. 32. dicitur: Quoniam pars domini populus eius, & Iacob funiculus hæreditatis eius. Iudeæ verò potissimum meminit, ut propter principis in uniuerso regno Israëlitico: tribusque illa Iudaica

daïca fuit, quam reducem ab exilio ædes secunda vidit.
Quoniam excitatus est è domicilio sanctitatis suæ.
quod cælum est. Excitatum porrò eundem parabolicas di-
cit, æquè ac virum è somno suo expperrectum, quemadmo-
dum & Psalmus septuagesimus octauus ait: Et euigilauit
quasi à somno dominus.

Caput 3.

Ostendit autem mihi Iehosuam sacerdotem ma-
gnum, stantem coram angelo domini, stabatque
aduersarius ad dexterā eius, ut ei aduersaretur. Di-
xit ergo dominus ad aduersarium, Increpet te do-
minus, ô Satan, increpet, inquam, te dominus, qui
elegit Hierusalem. An non iste tanquam torris est
ex igne erutus?

Satan stat à dextris, non à sinistris, quia vera erat accusatio, cù quod
& ipse cum cæteris alienigenam accepisset vxorem, vel quod dextris
semper, & virtutibus contraire soleat, vel quod negligenter culpam si-
bi contraxerat, dum filios suos alienigenis vxoribus copulatos minimè
reprehenderet.

Metaphoricus Sanaballat, alijsque ei adjunctos socios
describit, qui aduersarios se Israëlitis opponebant, & operi
moram adferentes in causa fuerunt, quod intermitteretur.
Chaldaeus paraphrastes hæc ita reddidit, & peccatum eius
dexteræ adstabat, ut ei aduersaretur. Dixit ergo domi-
nus. Angelus videlicet, qui domini sui nomine hoc loco in-
signitur, quemadmodum alias idem etiam fit, ubi de Ge-
deone agitur, & aliis itidem nonnullis locis. Increpet te
dominus. Deus hic Opt. Max. intelligitur. qui elegit
Hierusalem. extruendam scilicet, & instaurandam, ita
ut non iam amplius operi resistendo par esse possis. An non
iste tanquam torris est ex igne erutus? eiusmodi tor-

f ij ris

COMMENTARII KIM HI

ris instar, quem accensum, flammæ subducere vulgus hominum solet, ut ne prorsus in ignem abeat. Nec huic multum absimili ratione cum eo quæ iam diximus, agitur: erupto videlicet exilij incendio, quo tandem aliquando urbe Hierosolymitana repetita, dominicam ibi ædem resarciat, & sacerdotio in eadem fungatur. quanquam simplicem hoc loco nudamque verborum interpretationem maiores nostri (quos honoris causa nomino) sequuntur: nempe quod fuerit una cum Sedechia & Achabo, summis illis quidem contumeliis à rege Babylonico per ludibrium exceptis, quibus tamen igne absumptis, superstes hic evasit, ut in ea homilia habetur. Ionathan in hunc sensum vertit: An non hic est titio ex incendio seruatus? &c.

Iehosua autem indutus erat vestimentis sordidis: stabatque coram angelo. Et respondens, dixit ad eos qui stabant coram se, dicens: Auferte ab eo vestes sordidas: ad eum verò dixit: En transtuli à te iniquitatem tuam: & indui te vestibus immutatis. Tū dixi: Ponant tiaram mundam super caput eius: & imposuerunt tiaram mundam capiti eius, vestibusq; eum induerunt: stabatque angelus domini.

Sordidae vestes dicuntur, vel ob peccatum illicitum, vel ob peccata aliena, vel ob squalorem captiuitatis.

Ablatio vestium, remissionem culpæ significat, ac si dicat: Curaui te ornandum virtutibus, & variis animi dotibus. Mercedem deinde pollicetur, primò temporalem, ac poste à æternam, Si, &c.

Sensum eorum quæ de sordidis vestimentis hoc loco dicuntur, parabolicos ad ipsius filios referunt: qui peregrinas uxores & à suo genere alienas duxerant: quam interpretationem & Ionathan sequutus est: Habetaque Iosua filios, qui uxores duxerant non aptas sacerdotio. Confona est &c

est & maiorum nostrorum interpretatio (quorum memoriæ suus interim hic honos habetur.) Aiunt enim hæc ideo dicta fuisse, quod quum filij illius alias sibi uxores duxissent, quam quæ sacerdotali ordini congruerent, ipse tamen nequaquam iisdem interdixerit, atque hoc illud esse quod verbis illis exprimitur. Iehosua autem indutus erat vestimentis sordidis, unde enim alias Iehosuæ moris esset sordide vestiri, quam ex eo, quod filios illegitimis nuptiis, uxoriib[us]que peregrinis copulatos haudquaquam cohibuerit? Id quod Esdræ 10. scriptis proditur, Et depræhensi sunt de filiis sacerdotum, qui sibi collocauerant uxores exteræ de filiis Iehosuæ filij Iosedec, & de fratribus eius. Et respondens, dixit. Alloquitur prior ille angelus, quem iam dimisimus, alios, qui stabant coram se: utpote superior, & qui reliquos ablegandi potestatem haberet. Ministrorum & inferuictum nomine eos expressit Chald. paraphrastes. Auferte ab eo. Separandos eiusdem filios ab exteris uxoriibus innuit. iniquitaté tuam. Sordidæ enim uestes metaphoricas iniquitatem significant. immutatis uestibus: aliarum scilicet loco inductis, & nitidis: quæ parabola ad uitæ puritatem spectat: perinde ac si diceret, ablata semel iniquitate, futurum illico, ut nitorem in te puritatémq; re lucentem homines conficiant. Quin & Ionathan eodem modo, Indui, inquit, te innocētia. Tum dixi. Ego, inquam, Zacharias propheta huiusmodi verbis angelum compellauī, ponant tiaram mundam super caput eius. Quādoquidem sordidæ iam illæ uestes tuo iussu ablatae sint, & aliæ earundem loco corpori ipsius inductæ, iube amabo, & mitram nitidam eiusdem capitii imponi, qua consecrari pos sit, ac summi pontificis munia obire, cui de more tiara caput

f iij redi-

COMMENTARII KIM HI

redimitur. vestibúsque eum induerunt. immo iam dum, nihil quicquam suggestente Zacharia propheta: vestibúsque eum induerant: ita enim superius dicebatur: & induit eum vestibus immutatis. Quale quid Exodi 16. occurrit, ubi ait: Scaturiere vermes, & putruit, putredine tamen iam prius oborta. Quicquid enim vermes producit, putredine prius resoluitur, quam vermes scaturiant. Simili modo & apud Esaiam 64. dicitur: Ecce tu iratus es, & nos peccauimus, & quae sunt id genus loca alia. stabatque angelus domini. Angelus ille quidem a Deo Opt. Max. emissus, non prius se ab ipsis oculis aspectuque subduxisse videbatur (quo ad representationem saltem propheticam) quam tiara munda capiti iam eiusdem summi sacerdotis imposita fuisset.

Et contestatus est dominus Iehosuam, dicēs: Sic dixit dominus exercituum: Si in viis meis ambulaueris, & si obseruationem meam obseruaueris, tu quoque domum meam iudicabis: & præterea cū studies atria mea, tibi que inter istos stantes transitus dabo.

Testem eum huic rei adhibet, ut Moses Deuter. 4. Cœlum, inquit, & terram contra vos in testes voco. Itidem & Iudas Genes. 43. eadem verbi significatione utitur, quem ait: Sancte obtestatus est nos vir ille. Domum meam iudicabis. Reliqui enim sacerdotes ad eum modum in rebus administrandis se gerere debebant, quem ipse summus noster sacerdos, iisdem prescriberet. Per istos stantes, angelos intelligit, qui perpetuo persistant, & stabiles sunt: id est, tu quoque eodem in loco cum illis futurus es: id quod ad animum referri debet, ubi est corpos eulauerit.

Audi

Audi queso Iehosua, sacerdos magne, tu & proximi tui, qui ante te sedent, quoniam viri sunt, qui aliquid portendunt. En enim ego adduco seruum meum, germen. En enim lapis quem posui ante Iehosuam, super lapidem vnum, septem sunt oculi. En ego cælo quod in eo cælatum est, ait dominus exercituum, & auferam iniquitatem terræ huius vno die. In die illa, dicit dominus exercituum, quisque proximum suum subter vitem, & subter ficum vocabit.

Digni enim uero sunt, in quorum conspectu prodigia fiant, & quibus reuelationes aperiantur de aduentu Christi: apti & idonei qui eum annuncient.

Germen. Christus idem germen iustitiae, & lapis angularis dicitur. Sculpam. Ipsa verbi vis & significatio passionem Christi innuit, cuius manus, pedes & latus, Deo permittente, perfodiebantur.

Omnes homines mutuo se se ad fidem Christi inuitabunt.

Quos hic proximos vocat, sunt hi quidem reliqui sacerdotes. viri sunt qui aliquid portendunt: nepe eiusmodi qui ita se gerere debent, ut digni videantur, quorum opera res portentosæ, & aliorum hominum captum supervantes ædi possint. Maiores porro nostri (quorum manibus fausta sint & pacata omnia) diligentius paulò inuestigarent, ecquid tandem hoc hominum foret, & quales hi viri fuerint, per quos porteta huiusmodi facta sint. Tales enim uero fuere Hananias, Misael, & Azarias. En ego adduco seruum meum, germen: nempe Zorobabelem. Adducendi autem vocabulo in futuro, etiam de eo utitur, qui iam aduenerat, nimirum ut ostendat, maiorem adhuc eiusdem splendori atque magnificentiae cumulum accessum, foreque ut non aliter resuscere incipiat eius gloria, atque

COMMENTARII KIM HI

atque germen aliquod è terra pullulare soleat, quod paulatim sibi maiores vires in dies acquirit: quemadmodū idem hic propheta in his quæ sequuntur, cap. 6. ait: Ecce vir, cuius nomen germen, sub se germinabit & edificabit templum domini. Eòdem pertinet & illud Hag gæi, cap. 2. Assumam te, ô Zorobabel: & quæ sequuntur, ita ut à nobis explicata sunt. Sunt qui germen ad principem illum magnum Messiam referant, in hunc ferè sensum: Et si magnum quidem sit hoc beneficium, quod in præsentiarum vobis impertior, multò tamen adhuc maioris vobis author futurus sum, quo tēpore seruum meum germen.i. Messiam adduxero. Ionathan disertis verbis seruum meū Messiam vertit. En enim lapis quem posui. Lapidis nomine perpendiculum significat, quo ædificij structura dirigi vulgo solet: aut lapide illum intelligit, quem priorem aliis in initio operis posituri erāt, à Zorobabele, præsente Iehosua, ponendum, ut ei respondeat, quod infrà ca. 4. dicitur: Et educet lapidem primarium. Super lapidem vnum septem sunt oculi. Singulis nimirū singuli septem oculi. Intelligit autem his verbis excubias plurimas, & præsidia à Deo Opt. Max. aduersariis illiusmodi obiecta iri, quibus in anno fuerat opus illorum interpellare. Suntque iidem illi septem oculi, quorum infrà fit mentio. Septenarius verò numerus estimationis potius, multitudinisque significanda loco ponitur, quam ut definite septem exprimat, àquè ac Leuitici 26. Septem pro ratione peccatorum. Itidem Proverbiorum 24. Septies cadit iustus, & resurgit. & quæ sunt id genus alia. Quanquam septem hoc loco pater idem ac dominus meus (honorandæ mihi memoriae) diserris verbis pro numero septenario interpretetur, pro Iehosua nimirū, Esdra,

Esdra, Zorobabele & Nehemia, ac tribus prophetis, nempe Haggæo, Zacharia & Malachia. Ionathan vertit, Septem oculi conueniunt illi. En ego cælo quod in eo cælatum est. Perinde ac si lapis ille tantisper, dum structura impediatur, tantum non vinculis quibusdam irretitus, iam tandem educeretur ædificio supponendus. Quadrabit & illa interpretatio, si ad eum modum sensus referatur, quo dicitur Exodi 28. Et sculps in ea cælaturas, ut solent sigilla cælari. Quumque politi lapidis affectio tum demum omnibus suis numeris absoluta dici soleat: ubi picturæ, flores ac poma sculptoris arte inducta fuerint, idcirco metaphoram huiusmodi adhibuit, quasi huc in modum diceret: Evidem ædificium hoc vobis undique perfectum absolu-
 tumque reddam. Et auferam. de eo tempore intelligi debet, quo illud sibi Zorobabelē persuasissimum habere iusserant, fore ut sua potentia, dignitatique plurimum accederet: quemadmodum Haggæus cap. 2. ait: Assumam te, ô Zorobabel, &c. Et Zacharias: Ecce ego adduco seruum meum germen. Eodem verò tempore pacata res Israëlitarum futuræ sunt, instaurata iam æde secunda. Vnde & illa subnectuntur: Quisque proximum suum vocabit. Ceterū per id quod iniquitatem terræ appellauit, for-
 rasse simplicem ac literalem (ut vocant) verborum sensum intellexit: aut (si cui magis hoc placet) pœnam atque suppli-
 cium iniustitiae nomine immisum exprimere voluit, æquè ac Genes 15. dicitur: Nondum completa est iniurias Amorrheorum, id est, pœna iniustitiae: quasi è medio prorsus omnem aduersam fortunam tum temporis sublatrum se dicat, & quicquid præterea molestiam ipsis adferre pos-
 sit, omnia denique prospera & tranquilla futura. vocabi-

COMMENTARII KIM HI

tis quisque: præ magna scilicet rerum omnium bonarum,
pacisque copia, qua perfruemini.

Caput 4.

Reuersus est autem angelus, qui mecum loquebatur, & excitauit me, ut solet quis de somno suo excitari: dixitq; ad me: Quid tu vides? Ego autem dixi: Vidi, & en candelabrum totum aureum, in summitate sua habens discum rotundum: septemq; lucernæ eius erant ad illud. Septena trans fusoria lucernis quæ erant in summitate ipsius. Due quoque oleæ iuxta ipsum, alterum à dextra disci, alterum à lœua eius.

Prædicitur perfectio & absolutio templi, & illustratio eiusdem.

Angelus loquens in propheta, sensus est à Deo illuminatus.

Candelabrum Christus. Aurum humanitas Christi. Illustratur templo candelabro, illustrat Christus ecclesiam. Septem lucernæ, septem gratiæ spiritus sancti. Due oliuæ, lex & euangelium. Mons vel diabolus est, vel Antichristus, qui frustra Deo se opponet.

Quum de aliis hactenus rebus ageretur, quæ per visum repræsentabantur, Sustuli, inquit, oculos meos, quasi ipse sibi met author videndi fuerit. Ceterum ad illud quod hoc loco contuendum proponitur, ab angelo excitatur. Sensus ita se habet. Ille quidem me excitauit, & ego non aliter eodem excitante expperrectus sum, atque vir quispiam somno sopitus excitari soleat. Ego autem dixi. Zacharie hac verba esse intelliguntur, tametsi scribendi quidem ratione liam formam, nempe tertiae personæ præ se ferre videatur. Legitur enim ego autem dixi: Septemq; lucernæ eius erant ad illud, non aliter ac in eo candelabro, cuius in lege mentio

mentio fit. Quæ verò medio loco ponitur, Dei significandi causa adhibetur, utpote qui contraria sibi inuicem connectat. Septem autem revolutiones contrariæ sibi inuicem intelliguntur. Totidem etiā numero sunt planetæ: à quibus orbis hic uniuersus, contrariis etiā partibus constans, gubernatur, latera itidem sex, & tres in rectum protractæ dimensiones eidem orbi attribuuntur, quibus septimo loco accedit laterum eorundem dominus ac præfectus: atque is punctuli cuiusdam in morem se habet: eodemque modo in reliquis etiam rebus fit, quæcunque corpore constant. Meminit porrò libri illius author, qui de creatione inscribitur, sex huiusmodi laterum, quibus hic orbis constat, quasi sex plagarum, quarum in meditullio ædes illa ter sancta, rebus aliis omnibus creatis longè præstantior extructa sit. Ad illud, nempe candelabrum. Lenticula enim illis superior erat. Portentum verò eius rei, quam hoc loco visendam proponit, eō spestat, ut certiore prophetā redderet lucis à Deo Opt. Max. Israëlitis deinceps mittendæ, tenebrarum loco, quibus antea obuoluti detinebantur. Septena trans fusoria lucernis, ut singulis singula responderent. At verò Rabbi quidam Schlomo (cuius memoriam lubetēter hic usurpo) septena singulis fuisse interpretatur. Duæ quoque oleæ. Quin & oleas, inquit, duas vidi supra idem illud candelabrum, aut (quod tantundem est) supra lenticulam.

Tum respondi & dixi ad angelū loquētem meū, in hanc sententiā: Mi domine, qui isti? respondebat angelus loquens necum, & dixit ad me: Num nosti qui sint isti? & dixi, Non, domine mi. Respondebatque & dixit ad me, dicens: Hoc negotium domini est ad Zorobabelem, nēpe hoc. Nō per exer-

gū citum,

C O M M E N T A R I I K I M H I

citum, neque per vim, sed per spiritum meum, dicit dominus exercituū. Quis tu mons magnæ coram Zorobabele : ad campum planum redigeris: proferet autem lapidem capitum eius, eruntque plausus ac gratulationes ei.

Multiplicem Dei Opt. Max. prouidentia intelligit, cui & huius materialis templi ædificatio magis quam humanis viribus innititur, & alia omnia parent, quantumvis magna ac robusta. Septem oculi curam eximiam & sollicitudinem significant, quam Christus ecclesiæ regens dæ adhibet.

Suclamatio illa & applausus populi prædictur, quo canebatur, Hosanna filio Dauid, &c.

Quemadmodum in candelabro rem se habuisse animaduertisti ut sua sibi vi constaret, nemine prorsus ibi adhibito, qui vel lucernas componeret, vel oleum iisdem infunderet, ita & ædis huiusc structura sine viribus humanis Dei Opt. Max. potètia absoluetur, ab illius propensa voluntate tota pèdebit. Idem verò deinceps sigillatim formaque expressiori visendū illi proponit, sub hæc verba. Quis tu mons magne? respectu nimirū Sanaballati, & id genus hominum, qui ei se socios in inimicitiis exercēdis adiunxerant. Etiamsi vel montem, inquit, ingētem magnitudine æquare videaris, ad campum planum redigeris, instar aquoris futurus es præ Zorobabele, nec operis huius impediendi molem sustinere valebis. proferet autem lapidem capitum eius. Quemadmodum 24. noui mēsis, quodie prima operis initia iacta sunt, primarius ab eo lapis positus est, ita & finis ab eodem toti structuræ imponetur. eruntque plausus & gratulationes ei. faustis enim acclamationibus, lœtisque omniexcipiebatur Zorobabel, quem primarium illum lapidem ædificio primus supponeret,

ret, totiusque populi vota huiusmodi audiebantur; fausta
sint & felicia omnia huic lapidi. Secundet eum Deus Opt.
Max. Iteratio porro eiusdem vocis, quā hoc loco habes, em-
phaticas adiecta, maiore vim adfert, ut apud Esaiam 57.
Ego creo pacem, pacem, inquam, his qui procul sunt.

Factūmque est verbum domini ad me, dicens:
Manus Zorobabelis fundarunt domum istam, ma-
nusque eius eam perficiunt, & scies quod dominus
exercituum misit me ad vos. Etenim qui parua ini-
tia contempserant, gaudebunt: videbūtq; perpen-
diculum in manu Zorobabelis. hi sunt septem
oculi domini qui peruagantur totam terram.

Prouidentia Dei Opt. Max. alia visione describitur, quam ecclesiae
suae regendae adhibebit, cuius & si initia parua fuerint, incrementa ta-
men maxima fuerunt.

Perficiunt, id est, absoluunt, & operi eidem finem im-
ponent, in quem sensum & Esaias eodem verbo utitur cap.
10. Quum dominus, inquit, perficerit uniuersum opus
suum in monte Sion & in Hierusalem. Etenim qui par-
ua initia contempserant. Quum enim primum opus il-
lud ædificiumque aggredierentur, aduersarij ipsorum cona-
tibus moram iniecerunt, fuitque dies ille parum latus, nec
ita magno in pretio apud eos habitus in reliquo omne tem-
pus quo opus intermittebatur. Ceterum in presentiarum
ubi Zorobabelem manu sua perpendiculari complectentem
videbunt, laetitia apud eos omnia perstrepent. Lapis porro
stanneus ille, qui perpendiculari hinc dicitur, is est, ad
quem ædificij totius structura fabrili manu dirigitur: deest
que hoc loco syntactica vocum coherentia, quam Nismach
grammatici appellant, quasi lapidem illum, è stanno confe-
g iij Etum

COMMENTARII KIMHI

Etum lapidem diceret, perpendiculum enim plerunque vel
stanno vel plumbo constat, & lapidis nomine appellatur,
æquè ac Deuteronomij 25. ubi ait: Ne sint tibi in sacculo
tuo lapis & lapis, id est, diuersæ mensuræ. hi sunt septem
oculi. Interpretatur id quod superius dixerat, vni lapidi
septem fuisse oculos. Oculi, inquit, hi sunt Dei Opt. Max.
qui per uagantur totam terram. Eum latere non pos-
sunt Israëlitarum hostes: ipse vindex eorum futurus est,
curabitque ne illi amplius in eos potestatem liberam exer-
cere possint.

Respondi autem & dixi ad eum: Quid sibi vo-
lunt duæ istæ oleæ, ad dextram cadelabri & ad la-
uam eius? Respōdi secundò & dixi ad eum. Quid
sibi volunt duo isti coni olearum, qui sunt ad latus
rostrorum aureorum exoneratiū à se aurum? Et
dixit ad me: An non nosti quid ista sibi velint? &
dixi: Non domine mi. Tum dixit: Isti sunt duo filii
olei: qui stant iuxta dominatorem vniuersitatem terre.

Vtranque potestatem, & regiam & sacerdotalem, ecclesiæ promo-
uendæ inseruituram ostendit.

Cognitum iam perspectumque habuerat propheta,
quorsum spectaret candelabri prædicti repræsentatio, que
lucis gaudiique portendendi causa monstrabatur. Ac de-
inde vim omnem atque significationem eiusdem candelabri
angelus ei interpretabatur, haud aliunde quidem, quam
à seipso nati: nimirū ut ex eo intelligeret, nequaquam in
armis aut humanis viribus spem esse ponendam. Perconta-
tur deinceps propheta, ecquid sibi velint olea illæ due, &
totidem oleis adiunctæ spicæ, ac binæ præterea auro con-
stantes ampullæ, quas & si superiori viso nequaquam expre-
ſi

sis verbis recensuerit, ex interrogazione tamen perspectas ab eo fuisse colligere licebit. Ad hæc autem duo interrogata, paucis & quasi sub inuolucro respondet angelus, aitque, Isti sunt duo filij olei: neque vero propheta clam erat, quid huiusmodi responso sibi voluerit. Quid sibi volunt duo isti coni olearum? Prominebant ex oleis illis ramunculi duo oleagini, qui medio duarum fistularum loco (materiam auri præferentium) deducebantur, iidemque illis continuè adhærebant. lateris hic nomine medium significatur. Ut autem rem omnem intelligas, ita accipito. Medio inter fistulas loco extendebantur olea duæ: è fistulis oleum in lenticulam destillabat, è lenticula viciſſim in infusoriam, ex infusoriis in lucernas ipsas manabat. Ramunculos autem illos conorum siue ſpicarum nomine, apta & apposita similitudine exprefſit: quippe qui non aliter baccis oleaginis scaterent, ac ſpicæ frumenti granulis onerari soleant. Quæ rostra hoc loco dicuntur (Hebraicè Zanteroth) vasa ea quidem sunt, fistulis & ampullis similia. Jonathan fistulas auro rostratas vertit. Et Onkelus ea quæ Exodi 16. in hanc ſentētiā dicuntur, Instar placentæ mellitæ, pro lagano melle condito interpretatur. Ex onerantia à ſe aurum. oleum ſcilicet, auri puritatem nitorēmque referens. Quo modo & Babylon calix aureus in manu domini, Hierem. 51. dicitur, vini puri & meri loco. Iſti ſunt filij olei. Idcirco eos, nempe Iehosuam & Zorobabelem, oleas, & filios olei appellauit, quia oleo illo egregio & insigni (quod unctionis propriè dicitur) inuncti fuerint, hic in regem, ille ut ſacerdotiū munere fungeretur. Qui ſtant iuxta dominatorem vniuersitatem terræ, präſolò ſuisque locis diſpositi ad obeundam illius voluntatem. Jonathan huiusmodi

COMMENTARII KIM HI

in simili verbis ista reddidit: Sunt hi duo magnatum filij, qui domino uniuersi orbis assistunt. Nec adhuc tamen dilucidè satis explicatum est, quid sibi velint oleæ illæ duas, aut cuiusnam rei significandæ causa parabolicæ adhibitus sit binarius ille ramulorum & fistularum numerus. Oleas ergo illas duas metaphorice Zorobabelem & Iehosuam intelligi voluit, operum ipsorum nomine, quorum iidem illi primi authores fuerunt in extruenda æde dominica. Ramulis verò ac spicis, qui ex predictis emanabant, Nehemiah atq; Esdras, tempore illis quidem posteriores, figuratè expressit. Quorum quidem quatuor hominū opera factum est, ut lux tandem Israëlitis, aliisque bona restituta fuerint.

Caput .5.

Conuersus autem sustuli oculos meos: vidique, & ecce volumen volans, dixitque ad me, Quid vides tu? respondi, Volumen volans ego video, cuius longitudo habet cubitos viginti, latitudo autem eius cubitos decē. Et dixit ad me, Hęc est execratio, quæ exit super faciē totius terræ. Quia omnis qui furatur, ab eo quemadmodum ipsum est, absoluītur: & quisquis peierat, ab eo quemadmodum ipsum est, absoluītur. Eieci autem ipsam, dicit dominus exercitum, ut veniat ad domum furis, & ad domum eius, qui per nomen meum mendaciter iurat, commorabiturq; in domo eius: & conficiet eam, cùm ligna eius, tum lapides eius.

A latis atque fœlicibus, ad tristiora commemoranda progreditur, ut quicquid ex bonorum reuelatione arrogantiae creuerat, ex tristium comminatione decrescat.

Intelligit

Intelligit mundum esse plenum omnibus vitiis, cùm in homines, cùm in Deum.

Maledictio est sententia lata contra habitatores terræ flagitosos.

Sensus est: In utroque latere voluminis scriptæ erant hæc duæ sententiaz.

Duplex transmigratio describitur: prior decem tribuum, ad Assyrios: posterior duarum, ad Babylonios.

Prophetico quodam spiritu volumen quodpiam cernebat, quod in aëre volatile ferebatur: quemadmodum et Ionathan libellum volantem interpretatus est. Tempus autem huiusc prophetiae, ad quod propriè referri debeat, quæ iam visenda proponitur, haudquaquam disertis verbis exprimitur: quanquam verisimile fuerit, ad eandem illam ætatem pertinere, cuius erat propheta: præsertim quum è libello Esdræ constet multis flagitiis obnoxios fuisse illius ætatis homines. Execrationis porrò eiusmodi, qualis hic mentio fit, emittendæ causam præbuere furtum, et mentiendi animo temerè susceptum iuramentum. Quanvis enim uero quo ad sceleris atrocitatem, nequaquam hæc duo inter se paria sint, nec furtum temerario iuramento aquari debeat, præstò tamen in foribus illico adest, & ex eo oritur temerè iurandi consuetudo. Cuius longitudo habet cubitos viginti, latitudo autem eius cubitos decem. Quod ad longitudinis latitudinisque dimensiones attinet, quæ oculis ipsius reprobabantur, interpretes nonnulli in eum sensum accipiunt, quasi ex ipso templi vestibulo volumen illud produisse viderit, cuius ad viginti cubitos longitudo, latitudo vero ad decem patebat, in eo nempe opere, quod Salomon extruendum curauit. Licet vero tum temporis idem illud vastatum prorsus atque dirutum iaceret, inde tamen seruata quæ prius inerat, longitudinis latitudinisq;

COMMENTARII KIMHI

analogia, volumen egredi videbatur. Atque hoc illud est,
quod ait exiisse eam execrationem, ac deinde, Eieci,
inquit, ipsam super faciem totius terrae, nimis Iudaicæ:
cuius loco Jonathan vertit: Hæc est macula quæ exi-
tura est. Sensus porro huiusc libelli omnino cum eo volu-
mine concuerit, quod Ezechiel tum à fronte, tum à tergo scri-
ptum aliquando videt. Nam & hic utrinque literas exaratas
habet: ab altera quidem parte multam illam inscriptam,
quæ furem quemcunque, quouis nomine furti reum ma-
net: ab altera vero peierantis pœnam expressam. Simili-
tudinis autem nota, quam hic Hebrei sibi propriam ha-
bet, quemadmodum ipsum est, eodem modo accipi de-
bet, quo & illa quæ Genes 44. legitur: Tu sicut Pha-
rao, & Pharaos sicut tu. Itidem & 1. Reg. 22. Ego sicut tu,
& tu sicut ego. Sententia ita se habet, utrinque scilicet vo-
lumihi inde inscriptam fuisse diram illam execratio-
nem, tam hac, quam illac, & è contraria. Absoluendi voca-
bulo (quod Hebraice Nickah dicitur, & formam passiuam
habet) succidum & perditum iri intelligit: quemadmodum
& Hieremias eodem verbo in eadem significatione usus
est cap. 30. verutamen succidendo non succidam te. Qua-
uis enim hactenus vindictam bene longo tempore illis pro-
crastinarim: deinceps tamen opportuno iam tempore pœ-
nam se dignam reportabunt: eaque de causa volumen illud
in medium prodierat. Huic vero prophetæ libellus ille qui-
dem conspicuus appetet: non intellectis tamen quæ intus
scripta latebant, (quod in Ezechiele factum est) donec ab
angelo eorundem certior factus fuisset. Cœpit enim tum
temporis imminui paulatim & aboleri prophetici mune-
ris vis & energia: atque ex eo factum est, ut abstrusiores,
magisq;

magisq; reconditos sensus habeant Zachariae vaticinia: aiuntque vnà cum Haggæo, Zacharia & Malachia propheticum munus extinctum fuisse. Eicci ipsam, nempe execrationem: quam non alio nomine in publicum prodire volui, quām ut pœnas de furibus, periuriōque obnoxii hominibus sumerem: nec ultiōni diutius supersederem. Comorabitur in domo eius. Hæredit, inquit, eadem exratio in ipsis ædium penetralibus, nec inde prius emigrabit, quām dominum, quām ligna, quām parietes ædium illius absumpserit.

Egressus est autem angelus, qui loquebatur mecum, dixitque ad me: Attolle nunc oculos tuos, & vide quid sit illud quod egreditur. Tū dixi, Quid est? dixitque, Ephæ est quod egreditur. & addidit, Hoc oculus eorum in vniuersa terra. Et en massa plumbea ferebatur, & hæc mulier vna sedēs in medio ipsius Ephæ, & ait, Hec est impietas, & abiecit eam in Epham. deinde abiecit massam plumbeam super os ipsius.

Peccata talento plumbi assimilantur, utpote quæ grauia deorsum tendant: & peccantem vnā secum in ima pertrahant: vel grauitas plumbæ diuturnitatē captiuitatis futuræ significat.

Verisimile est angelum, monstrato iam libello volatili, paulisper se ab aspectu prophetæ subduxisse: ac deinde Ephæ, cuius hic meminit, visum ei conspiciendum exhibuisse. Quod egreditur è templo dominico: æquè ac in superiori factum fuerat: aut è terra Israélitica. Chaldaeus paraphrastes ita vertit, *Quinam isti sunt, qui exulant? Ephæ est quod egreditur. Cōditionem decem quidē tribuum,* quæ iam anteā in exilium abductæ fuerant, ob oculos illi
h ij intu-

COMMENTARII KIM HI

intuendam proponit: utpote quæ profundo captiuitatis bārathro absorpta, non itidem ut Iuda ac Benjamin, egrediendi potestatem nactæ sint. Ostendit porrò Epham, quod est mensuræ quoddam genus: & ex eo intelligi voluit, pari (quod aiunt) & talionem ipsis à Deo Opt. Max. relatum. Quemadmodum enim per eos stetit, qd diu sceleribus virtusque perpetrādis multum temporis absumperint, iam inde ab eo usque tempore, quo primum in regno schismæ obtigit, donec in exilium tandem abducti erant, nullo prorsus inuento rege, qui ad probitatem ipsos alliceret, sed singulis flagitiosam viuendi rationem consequantibus, quemadmodum, inquam, diuturna fuerat hominum illorum improbitas, ita & exilium diuturnum futurum est. Atque hoc illud est, quod vulgo dici solet, pari relatu: eodemq; mensuræ genere inter remetiendum quemque usum fuisse, quo alius erga eum prior usus fuerat. Quocirca & prophetae visenda proponitur Epham, quæ mensuram quandam significat. Et addidit, Hoc oculus eorum in uniuersa terra. Pergit adhuc in interpretatione sua angelus: aitque prophetæ: Quam tu hic Epham vides, est illa quidē iudicij loco adhibita, ut ostendat haudquaquam latere eorum opera, sed esse qui fixo lumine ea quæ ab illis geruntur, intueatur, idemque etiam uniuersum orbem perlustraret. Cui quidem sententia & superiora illa capite 4. conueniunt, ubi aiebat, Oculi domini perugantur totam terram: per oculum eorum hoc loco, lumen in eos defixum inteligit, nempe Dei Opt. Max. Et en massa plumbea ferrebatur: medio scilicet eiusdem Ephæ loco. Eadem quum ex plumbō tota cōstaret, exilijs grauitate augendam innuit, futurūmque ut in imum seruitutis barathrum quam altissimè

simè detruderentur. Mulier vna sedēs in medio ipsius Ephæ. ecquid hoc fœminæ aliud est, quām decem tribus? utpote quæ uni imperio parebant, eodemque malè viuendi tramite utebantur: unde & fœminam vnam eos appellavit, & eadem sedebat in medio ipsius Ephæ, quasi dignis modis accepta: ut verè illud dici posset, par pari relatum. hæc est impietas. Interpretatur angelus prophetæ, fœminæ illius nomine, scelera huiusmodi designari, quæ perpetrabantur apud Israëlitas: tribus nempe illas decem, quæ vitulos sibi conflauerant, & idolatriæ cultum primum instituerant. Et abiecit eam in Ephæ. idcirco nimis ut mensura mensuræ responderet, in medium ipsius Ephæ Deo Opt. Max. impellente abiecta est. deinde abiecit massam plumbeam super os ipsius, ut quām altissimè eandem in exilijs seruitutem ad multorum annorum spatiis detruideret.

Quimque sustulisse oculos meos, vidi, & ecce duæ mulieres prodibant, ventisque erat in alis earum, erantque eis alæ, quemadmodum sunt alæ ciconiarum, quæ Epham in altum inter cœlum & terram sustulerunt. Dixi ergo ad angelum mecum loquentem, Quo ferunt istæ Epham? dixitque ad me, Ut extruant ei domum in terra Sennaar: ubi præparabitur ei, & collocabitur ibi super basi sua.

In alis earundem spiritus, potestas est diaboli, cui propter grauissima peccata, latèque patentia (in morem ciconiæ aut milii alarum) traditæ sunt in captiuitatem abducendæ.

Oculus eorum, non quo vident, sed quo videntur à Deo eorum hominum peccata: passiuè, non actiuè sumitur pronomen.

Quemadmodum superiùs fœminæ unius nomine decem tribus expressas indicauimus, ita & duas in præsen-
b iij tiarum

COMMENTARII KIMHI

tiarum Iudam & Beniamin Babylonem abductas interpretabimur. & quanuis eo quidem tempore quo visendum hoc illi proponebatur, ab exilio iam dudum reduces prædictæ duæ illæ tribus fuissent, visum tamen hoc illi aliorum causa repræsentatur, qui nondum relicta Babylone negligentius se in repetenda Hierosolyma gerebant: idq; adeò post cœptam iam templi dominici instaurationem: Vidi, inquit, duas istas fœminas in exilium migrantes. ventusq; erat in aliis earum. quasi citò quidem & adhibita festinatione Babylonem abductas diceret. Erantque eis alæ, quemadmodum sunt alæ ciconiarum: id est, oblongæ, lataq; quales habet ciconiæ. quæ sustulerunt Epham in altum. Idcirco sublimem eandem alis suis gestabant, ut ex eo certiores ipsos redderent, non immerito exilium illud à Deo Opt. Max. immisum fuisse, sed æquissimam mensuram mensuræ redditam, ob admissa scelera morumq; improbitatem. Quod porro loci qui est inter cœlum & terram meminerit, id ad volatum pertinet. Constat enim volantem medio inter terram cœlumque loco sub firmamento ferri: nempe ut ex eo ostendat, longè aliam esse istarum, ac prioris illius fœminæ conditionem: quippe cui massam plubeam in os iniecerat, quo grauiori mole inter exilium obrueretur. Cæterum quod ad istas iam attinet, nihil hic exprimit, quod ad terram usque eas præcipites agat, sed in aere potius pensiles describit: usque dum elapsi septuaginta annis, opportunum redeudi tempus adueniret. Quod itidem Iudam ac Beniamin sub duarum fœminarum specie, reliquas autem decē sub unius effigie repræsentatas viderit, id eō pertinet, quia peculiaris quedam & à reliquis omnibus sciuncta fuerit Iudaica familia, regni quidem nomine.

Cui

Cui Beniamitica tribus coniunctius multò quām cæterae,
adhærebat, quum agros tantūm non eosdem, ac communem
hæreditatem haberent, unde & exilium commune utriq;
familia& fuerat, ac proinde duarum fœminarum memi-
nit. quanquam ingeniosus quidam vir & magnæ authori-
tatis Rabbi Moses Maimonites (cuius memoriam fau-
stum fælixque sit hoc loco fecisse) fœminas hasce duas pro
angelis interpretetur: quos ille iam æquè muliebri specie ex-
pressos cernit, atque equina prius similitudine repræsentato-
res viderat: eadem nempe de causa, quam iam suprà dixi-
mus, eo q; eadem illa ætate flacescere cœperit & magna ex
parte imminui prophetici muneris vis & energia. Quod
ferunt istæ Epham? Nihil huiusmodi, quum de superio-
ri illo viso ageretur, interrogauit, utpote quod magna festi-
natione abreptum viderit. Quod porrò hoc loci Epham il-
lam ab ipsis met fœminis sublatam fuisse dicat, id eò perte-
net, ut eadem in causa fuisse intelligantur, q; Deus Opt.
Max. æquissima lance facta ipsis sua rependerit, tantun-
dem ac si dixisset eas sibimet exilium illud accersuisse. Ut
extruant ei domum in terra Sennaar. Huc & illud
pertinet quod Hiere. 29. dicitur, nempe ideo misisse ad eas
prophetam, ut significaret diuturnam fore ipsarum capti-
uitatē: Edificate, inquit, domos, & inhabitate. ubi præ-
parabitur ei & collocabitur: habitationi scilicet eorum
dem locus ille prædictus accommodabitur: id est, aedes ibi
firmas & domicilia sibi extruent, ac fixis eodem in loco se-
dibus immorabuntur. Super basi sua. Quasi apparatum
illum in extruendis ædibus, vitibusque serendis, pigritiem
quandam huiusmodi hominibus incusisse dicat, qui post
Esdræ discessū, Babylone adhuc superstites, nullo omnino

patriæ

COMMENTARII KIM HI

patriæ repetendæ desiderio tenebantur, ne tum quidem,
quum ædis sacrae instauratiōni manus iam admotæ fuerat.

Caput 6.

Conuersus sustuli oculos meos, & vidi, & ecce
quatuor quadrigæ exibant, inter duos montes, qui
montes ærei erant. In quadriga prima erant equi
rufi. In secunda quadriga equi nigri. In tertia qua-
driga equi albi: & in quarta quadriga equi macu-
lis variegati, fortis. Respondi autem & dixi ad an-
gelum qui mecum loquebatur, Qui sunt isti, mi
domine?

Quatuor imperiorum destructio prædicta, quorum unum iam
dudum euersum fuerat.

Montes ænei prouidentiam diuinam innuunt, & ordinem, qui non
fallit, aut robur ac potentiam corundem imperiorum.

Quod semel atque iterum in superioribus de quatuor
monarchiis intuendum illi propositum fuerat, idem etiam
hoc loco tertia iam vice, sed forma, quam antea, paulò aper-
tiori per visum eidem repræsentatur. Quadrigarum, &
quatuor equorum nomine, imperia illa exprimit: ut poten-
tiam cuiusque ac robur demonstret, quod singulis interim
dum per orbem summa rerum potirentur, opportuno suo té-
pore inerat: & à singulis male accepti sunt Isräélitæ. Eó-
dem spectat & illud, q̄ inter duos montes easdē qua-
drigas exeuntes viderit, fortitudinis exprimenda cau-
sa, qua vel cum montibus conferri possint. Montes porrò
ærei erant: quæ materia ferrum incidendi vim habet,
acier vulgo appellata. Atque huic quidem similis in sa-
cro sancto volumine locus occurrit, Hieremias 6. Incidunt,
inquit, ad unum omnes fraudulenter, ut æs & ferrum: cu-
ius

ius interpretatio ita habet, ut quum lapidem incidendi expoliendique vim atque potentiam habeat, lapide fortior intelligatur. Ad augendam ergo potentiam earundē, ac fortitudinem, montes hi ærei prophetæ per visum obiiciebantur. Quin & nominis ipsius ambiguitas, & varia interpretatio quam Hebraica dictio parit, in causa etiam fuit, & eiusdem meminerit. Etenim Nahasch Genes. 30. tentandi siue explorandi significationem habet: ubi Laban tentando, inquit, expertus sum Deum mihi tua causa benedixisse: ut montes illi tentatorij propriè vocari posint: ad quos Israëlitæ adhibita quatuor regnorum opera tentati exploratique fuerint. In prima erant equi rufi, Babylonici imperij significandi loco positi: quemadmodum superius à nobis explicatum est. In secunda equi nigri: iudicem nempe cum illis, quos anteā varios appellauit. Medorum quidem atque Persarum regni iudices, varij siue nigri dicuntur, quia ex aliis atque alius populis, duarum scilicet nationum, imperium illud quanuis idem ac unum constaret. Sunt qui ideo nigra effigie conspectos interpretentur, quia fuligine quadam & nigrōre, regnantibus illis Israëitarum ora obducta fuerint, ea nēpe atate, qua floruit Haman. Alij colores istos ad consuetudinem illam referunt, quae vestes hoc aut illo colore imbuere solebant: ita ut his quidem variis, illis autem niger in usu fuerit. In tertia quadriga equi albi. Græcorum imperij typum his exprimit. unde vero id factum sit, & albis eos assimilauerit, equidem baudi facio. Author est Rabbi Sebadiyah (cuius hic mentionem lubens facio) Alexandrum Macedonem, qui primus in Grecia regnauit, philosophiae studiis imbutū fuisse: atq; ex eo factum, ut quum philosophiae plurimum candoris ac

COMMENTARII KIMHI

integritatis insit, regnum illud alboris speciem præ se tulisse dixerit. In quarta equi maculis variegati, fortes. Binos hic colores videt. Quos maculis hoc loco variegatos Latinè reddidimus, Hebraicè à grādine deducto nomine, grandinosi appellari possunt. Color enim est albis quibusdam notulis & punctis interspersus, in morem grandinis, quæ in medio aliquo alio colore reluent. Sed unde id tandem, q̄ huiusmodi colore Romanum imperium visendum exhibeat? ex eo nimirū, quia plurimū pollere lege Moysaïca, eidēmque mordicus se inhärere arbitrentur, utpote quænitore & puritate sua ad grandinis alborem quam Iudaicā calūniam hęc interpretatione sapit proximè accedat. Eandem illi tamen variis multisque persuasōnibus immiscent, haud aliter ac in grandine fieri solent, nigro aut alio quopiam colore admixto. fortium loco paraphrasis Chaldaïca cineritos vertit, id est, ad cineris colorem nonnihil vergentes. Huius porrò quadrigæ typum Romanum imperium exprimitur, quod Græciæ monachiam excusſit: sibiique principem in orbe locum hodie vendicat. Binos autem illi colores inesse vidit, eò q̄ aliud unius secum coniunctum imperium in orbe habeat, nempe Ismaëliticum: id quod anteà sub regno Nabugodonosori prædictum fuerat, aequè ac Daniel interpretatus est cap. 2. Regnum erit illud partitum, &c. Qui sunt isti, mi domine? Quandoquidem duo iam dudum alia, quæ ad hoc idem institutum pertineant, visa illi repræsentata sunt, & ex eo quod secundo loco proponebatur, nempe ex cornibus illis quatuor, maior deinde quam ex primo notitia oborta est, post interpretationem angeli: idem etiam in præsentiarum de quadrigis hisce quatuor suspicatus, quum ideo iteratō monstratas illas intelligeret, ut noui quidpiam portenderent,

derent, angelum interrogat, Qui sunt isti, domine mi? perinde ac si diceret, Cur hi denuo mihi occursant? præser-tim quum non ita pridem illiusmodi visa mibi proposita fuerint, quæ ad quatuor monarchias spectent. Quod si res ita se habeat, quid hi sibi volunt? quorsum istos video?

Respondens angelus dixit ad me: Iste sunt qua-tuor venti cœli, egredientes de loco vbi steterūt co-ram dominatore totius terræ. Ea in qua sunt equi nigri, egrediūtur ad terram aquilonarem. Albi ve-rò eos insequūtur. Maculosi verò exeunt ad terram australem: porrò fortis egrediuntur & contendunt perambulare terram. dixitque: Ite & perambulate terram. Et perambulauerunt terram. loquutusque ad me dixit: En isti qui egressi sunt ad terram aquilonarem tranquillarunt spiritum meum in terra aquilonari.

Quadriga prima, imperium est Chaldaeorum: secunda, Persarum at-que Medorū: tertia, Græcorum: quarta, Romanorum. Tropologicas quatuor quadrigas, quatuor euāgelia: & equi, apostoli, & alij verbi diuini dispensatores (quorum opera vbiique iacta sunt fidei fundamenta, præsertim in aquilonari orbis parte) spiritum Dei tranquillarunt, vbi diaboli regna durissima apostolica prædicatione subuersa sunt.

Plagæ orbis iuxta situm urbis Hierosolymitanæ ac tēpli in scriptu-ris sacris appellantur.

Petierunt à domino Deo, ut intelligi possit omnium imperiorum potentia ab eo authore & data & gubernata fuisse. Nam eorum op-era Deus animaduertit in homines flagitosos, qui Iudæos veros nomi-nis sui cultores male exceperunt.

Venti quatuor hoc loco ita accipi debent, ac si ad ven-tos quatuor, præposita particula obliqui casus, dixisset. qua-lis & illa phrasis loquendi est, quæ Paralip. 21. occurrit: Et venit Hierosolyma, pro, Hierosolymam. Itidem 2. Reg. 4. Filius Saulis in recto pro obliquo ponitur. Sententia ita se

i ij habet:

COMMENTARII KIMHI

habet: *Ad quatuor cœli plagas egressæ sunt quadrigæ itidem quatuor: id est, ut singulæ singulis imperiis dominandi vim atque potestatem, suo cuique opportuno tempore per loca itidem quatuor impertirent: nempe per uniuersum orbem, qui partibus quatuor constat.* Egredientes de loco vbi steterunt coram dominatore totius terræ. *Iussu nimis et imperio Dei Opt. Max. qui easdem eo nomine ablegarat: quemadmodum et Iobi 2. dicitur: Venerunt filij Dei ut starent coram domino.* In qua sunt equi nigri. Rerum hic mentio nulla sit, elapso iam dudum et accuso Babylonici imperij statu. Medorum verò atque Persarum regni initium, Septentrionem versus primò cursum instituit, nempe Babylonem, ut funditus eam deleret: ac tum posteà in alia omnia terræ loca imperium sibi vendicauit. Alibi verò, qui Græcorum monarchiam significat, eos insequuntur, ceu viribus atque imperij robore præstantes. Etenim Alexander ille Macedo, Græciae Monarcha primus, perempto Babylone Dario, totius orbis imperium in se suosq; successores transstulit. Maculosi exēunt ad terram australēm. *Ad eam videlicet, quæ meridiem versus sita est.* Nam Roma propius ad Septentrionem vergit. Iulius verò Cæsar, Romanus ille imperator Græciam bello adorsus est: et contra Agyptum (quæ plaga meridionalis est) prima arma mouit: ubi passim Græci tum temporis imperium obtinebant. Idemque Iulius Cæsar superior illis bello evasit, ac regnum deinde à Græcis ad Romanos traxit. porrò fortis ad Ismaëlitas exprimendos adhibentur: quippe qui suis ipsorum viribus freti, regnum sibi undeque, et quocunque tandem loco corradiant, ac proinde nulla eis certa plaga tribuitur. In quem eundem sensum et illa

& illa postea dicuntur, contēdunt perambulare terram. Dixitque, perinde ac si disertis verbis liberum illis faceret huc atque illuc euagandi potestatem, multāsque regiones in suam potestatem redigendi. Clamauit ad me: id est, sublata voce me compellauit, aitque: Enī isti qui egressi sunt ad terram aquilonarem, tranquillarunt spiritum meum in terra aquilonari. Nempe nigri isti, qui eo nomine egressi sunt, ut Babylonem euersum perditūmq; irent, nā illi rem mihi perquam grātam ac cordi fecerunt, interim dum eandem euersam perditāmque dederunt. Tranquillarunt spiritum meum. Indignationem illam omnem sedarunt, quam hostes Israēitarum mihi mouerant, immodica sua erga illos saeuendi atrocitate, malisq; supra modum exagerandis: quemadmodum ipse superius aut cap. i. Quum ego leuiter succēserem, ipsi ad malum auxiliati sunt, &c.

Factūmque est ad me verbum domini dicens, Accipe ex captiuis, nempē de Heldaī & de Tobia atque à Iedaīa. & venies in die illa, ingredierisque domum Iosīæ filij Zephoniæ, qui venerunt ē Babylone. Et capies argentum & aurum, faciesq; coronas, & impones capiti Ichōsuç filij Iosēdec sacerdotis magni, loquerisque ad eum in hanc formam: Sic dixit dominus exercituum dicens: Ecce vir cuius nomen germen. Sub se germinabit & ædificabit templum domini, ipseque feret magnificētiā. sedebit & dominabitur in solio suo, eritque sacerdos in solio suo, cōsiliūmque pacis erit inter utrosque. Coronæ autem erunt in tēplo domini ad monumentum ipsi Helem, Tobiae & Iedaīæ, & Hen

COMMENTARII KIM HI

filio Zephoniæ. Remoti quoq; venient & extruent
in æde domini. Et cognoscetis quòd dominus exer-
citum misit me ad vos, idque erit si diligenter vo-
cem domini Dei vestri audieritis.

Corona significat Christi aduentum, qui idem sacerdos & rex fu-
turus erat. Germen etiam appellatur, quoniam humana natura assu-
pta, proficiebat ætate, sapientia, &c.

Iudicaria potestas innuitur, quam pater dedit filio.

Remoti sunt gentiles, qui longè olim erant à Deo propter peccata
sua, sed iidem postea audient, iam non estis hospites & aduenæ, sed ci-
ues sanctorum, & domestici Dei, &c. Ephes. 2.

Captiuorum nomine eos intelligit, qui nuper è captiu-
itate reduces facti fuerant: nēpe Heldai, Tobiam, Iedaiam
& Iosiam: qui argenti aurique bonam vim ad instauran-
dam ædem dominicam suapte sponte & animo vere libe-
rali aduexerant. Cuius quidem rei notitia diuino afflatus
ad prophetam delata precipitur eidem, ut acceptam illam
pecuniam coronis faciēdis insumeret. Et venies in die il-
la, quum te eò loci receperis. Neque enim hoc sibi verba il-
la voluerunt, ut accepto statim vaticinio, illico eodem ipso
die se illuc conferret. Ingredierisque domum Iosix,
ubi & alij aderant. Rediisse enim predictos omnes unā
cum Iosia Babylone, verbis illis testatur, quibus ait: Qui
venerunt è Babylone. Et capies argētum illud atq; au-
rum, quod animo verè liberali ac spōte cum initis votis unā
secum asportarunt. faciēsque coronas, binas quidem ex
ea materia facies: quarum alteram Iehosuae capitii impones,
ut in summum sacerdotem subrogatus abs te intelligatur.
eritque ea tiara illius mundæ loco, qua caput eiusdem in ea
quam iam diximus, prophetia obuoluebatur. Quòd ad al-
teram attinet, nequaquam verbis opus fuit, ut eiusdem usus
expli-

explicaretur. Liquidè enim satis constabat eam Zorobabelis capiti debere imponi: quippe qui regis loco futurus erat, quum rex interim nemo sit, qui corona & diademate non insigniatur. Fieri enim uero potuit, ut nōdum imposta corona, ducem duntaxat eum appellarint, & quē ac Haggai i. dux Ichudæ appellatur: postea autem quum iam caput corona redimitum haberet, regem eundem nominarint.

Quæ sententia tametsi disertis verbis nequaquam scripta inueniatur, coniecturæ tamen probabili inniti videtur, ut ita se rem habuisse dicamus. Ecce vir, cuius nomen ger men: perinde ac si dicat: Eccum tibi hominem, principem futurum in Israël: nempe Zorobabelem. Idcirco vero ger men appellatur, quia maiora in dies ipsius dignitati incre menta sensim accessura erant, haud aliter ac germini cipi am terrestri accidere vulgo solet, quod paulatim auge scit, donec in immensam molē excreuerit. Quemadmodum & Haggæus de eodem vaticinatus est cap. 2. In die illa, dicit dominus exercituum, assumam te o Zorobabel: & quæ sequuntur. sub se germinabit, id est, in loco suo: quasi dic eret, ex eodem illo loco, quæ iam occupat, urbis nēpe Hierosolymitanæ, gloriam eum decūsq; reportaturum. Et ædi ficabit templum domini. Iteratò idem narrat ad maiorem emphasm. Ipseque feret magnificentiam. gloria ac decus totius regni penes eundem erit. & sedebit & do minabitur in solio suo, more plane regio, qui throno sublimis insidens longè latèque terris imperat. Eritque sa cerdos in solio suo. Al Hebraica præpositio hoc loco pro ante accipi debet, ut hic sit sensus, prætiturū eius solio sumnum sacerdotem. quemadmodum & eo loci sumitur eadem præpositio, ubi mentio fit eius qui se sistit ante dominato rem

COMMENTARII KIM HI

rem vniuersæ terræ. Idem i. Reg. 2. significatur illis verbis: Incedetque ante Christum meum cunctis diebus. Sacerdoti enim ad regem accessus patebat, admonendi consiliique suggestiendi causa: nec alias unquam sacerdoti rex praebat, nisi quum de oraculo diuino consulendo ageretur: prout illicis verbis expressum habetur, Nu. 27. Et stabit ante Eleazarum sacerdotem, qui interrogabit pro ipso secundum ritum Vrim coram domino. Consiliumque pacis erit inter utrosque. Nulla erit inter eos factio, nulla emulatio huic erga illum: optimè utriusque inter se mutuo conueniet in rebus administrandis: æque ac si unus quis uterque foret. Coronæ autem erunt in templo domini. Singulae nimis rūm monimenti loco futuræ sunt, & veluti μνμδωωφ (ut in lege dicitur, Exo. 28.) coram domino: ac si spontinam illam & verè liberalem animi munificentiam Deo gratam iri, & faustò illis cessuram, tam hic quam alibi, praesentis vitæ curriculo defunctis dicat. Nonnulli interpretes monimeti nomen ad famam quadam & recordationem nominis referunt, in qua futuri sint apud posteros: eo q[uod] nomina eorundem inscripta atque literis exarata coronæ illæ habuerint. Ipsi Helem. hic idem ille est, qui prius Heldai appellabatur: ut runque enim nomen ei competit. Et Hen, cui anteà Iosias nomen fuerat. Remotient. Gentes è longinquō confluent ad hanc ædem extruendam: id est, suapte sponte munera impertinentur, eiusdem structuræ usui futura. Id quod Herodis fortasse temporibus accidit, quum opus illud splendidum atque augustum in æde sacra moliebatur. Alij ad Israëlitas referunt, in longinas orbis partes, & procul remotas exilio discessos. Idque erit, si diligenter vocem domini Dei ve-

stri

stri audieritis. Quæcunque hactenus à me dicta sunt, ut
vos mactos esse animi iuberem, & bonam spem concipere,
næ illa quidem omnia euenient, sed hac lege tamen, si mo-
rigeros vos atq; dicto audientes domino Deo vestro præ-
bueritis.

Caput 7.

Factumque est quarto anno Darij regis, factum,
inquam, est verbum domini ad Zachariam, quar-
to die mensis noni. is est Cisleu. Etenim (populus)
miserat in domum Dei Saræzer & Regemmele
& viros eius, vt precarentur faciem domini, dice-
réntq; sacerdotibus, qui erant in æde domini exer-
cituum, atque ad prophetas huiusmodi mandatis.
Num flebo in mense quinto? num religiosè absti-
nebo, quemadmodum iam aliquot annis feci?

Mense quinto combustum fuerat templum, combusta tota Hieru-
salem, & muri diruti. Septimo verò mësc Godolias imperfectus fuit ab
Ismaële, & populus partim occisus, partim abductus Babyloné: & ob
id institutum fuit iejunium prædictis duobus mensibus, quod obser-
vabatur toto captiuitatis tempore.

Nulla hic omnino mentio fit in Hebræo, ecquis ille tan-
dem fuerit, à quo legatio huiusmodi emissâ sit. Nonnulli
Bethel viri nomen interpretantur, quasi ille nuncios istos
Seræzarum, Regemmele, eiúsq; socios ab exiliij loco Hierofo-
lymā emiserit. Cæterum consultissimū erit hoc loco Bethel
pro simplici ac genuina vocis significatione interpretari,
et què ac Ionathā vertit: Misérat enim populus ad Bethel.
Authores porrò huiusc legationis exules & captiui fue-
re. Numero autem singulari collectiū utitur quum ait:
Etenim miserat. Itidem & postea: Num flebo sicut
feci? Legatorum illa nomina sunt Seræzar, Regemmele,
k & qui

COMMENTARII KIMHI

& qui cum eo erant. Regem melec proprium viri cuiusdam nomen fuit, & is comites sibi nonnullos asciuerat, quos hic viros ipsius appellat. Hi ergo Hierosolymam venerunt, ut precarentur faciem domini, & exules corundem legatorum opera, consulendi atque sacerdotes ac prophetas interrogandi causa vtebantur, in hanc nempe sententiam, Num flebo? Atque ad prophetas. Prophetarum nomine, Haggaeum, Zachariam & Malachiam intelligit: quos scribas tamen Chaldaeus paraphrastes vertit. Num flebo? Siquidem aduersarij, qui opus incepturn ad aliquot annos intermittendum curauerant, in causa fuerunt, quo minus hi certam adhuc spem atq; fiduciam de futura cœpli instauratione cōceperint, adeò ut ne nūc quidē incepti operis famæ certiores facti, fidem adhibere, aut pedē e Babylone referre voluerint, quippe qui nequaquam illud sibi persuadere potuerunt, aliquando futurum, ut ædis dominica structuræ finis imponeretur, quin mora potius & interpellatio ab aduersariis iniiceretur. Sciscitatum verò mittunt, an ieunium ipsis obseruādum foret nono mensis Iulij, æquè ac septuaginta iam annis elapsis obseruauerant. Num religiosè abstinebo? Num à cibis, potu, delitiis que memet subducam? quem sensum & Ionathan Chaldaicè his verbis exprebit: Prohibebóne animam meam à delitiis?

Factum est ergo verbum domini exercituum ad me dicens, Dic ad cunctum populum terræ, & ad sacerdotes in hanc sententiam: Quando ieunabatis & plangebatis in quinto & septimo per hos septuaginta annos, num ieunando mihi ieunastis? porro quum comeditis & bibitis, an non vobis comeditis, & vobis bibitis? An non hęc verba sunt, quæ

que clamauit dominus per prophetas priores, quū Hierusalem adhuc habitaretur, & incolmis existet, ciuitatēsque eius circum eam, quum scilicet australia & campestria loca adhuc inhabitarentur?

Tale iejunium vestrum non fuit mihi gratum, quia non erat coniunctum pietati & religioni.

In parte australi, nempe que maximè debilis erat & infirma. Deinde docet quale iejunium sit optimum, quod nisi obseruetur, alia ieunia parum proderunt.

In quinto & septimo. Tametsi quatuor fuerint illa quidem tempora, quibus iejunium indicebatur: meminit tandem duntaxat quinti & septimi: propterea q̄ illo quidem urbs vastata, hoc autem Godolias imperfectus fuerit, & secunda clades accepta. Supererant enim adhuc plebei quidam & inferioris ordinis homines, qui si ibi reliqui mansissent, ita ut eos vitibus agrisque colendis Nabuzeræden reliquerat, haudquam omnia funditus vastata fuissent. Cædes porro illa Godoliæ, quam iam diximus, in initio mensis septimi perpetrata fuit. Qui cum dies sacerfestusque foret, ea de causa factum est, ut iejunium in sequentem lucem prorogaretur. Num mihi ieunastis? An me scopum ieuniis vestris prefixistis? id est, an meo nomine ieunastis? Imò verò peccata vestra populationis ædis illius in causa fuerunt, ob ea vos in exilium abducti estis, atque hinc illa ieunandi vobis occasio enata. Quòd si æqui ac boni tenaces, unicusque quod iustitia ratio dictabit, in posterum deferre volueritis, haud amplius erit huiuscmodi iejunium vobis opus. Nam ædes illa iam olim euersa (ut intelligatis) resartietur ab exilio vos reduces facti, patriæ restituemini, perpetuis ibi temporibus sedes habituri. Nunquam inde extorres, in posterum aliò migrabitis, si gratos k ij vosmet

COMMENTARII KIMHI

vosmet mihi per omnia exhibueritis. Pronominis autem epenthesis illa quam in Hebreo habes, egon', huiusmodi sensum habet, ac si diceret, Ego' iejunium hoc vobis impreau? Ionathan ita ista reddidit: An meo nomine iejunio vosmet ipsos afflixistis? Quum comeditis: ac si diceret, Quid mihi rei est cum ieuniis vestris, cum cibis quos sumitis? Iejunandum vobis est ob peccata vestra: cibus potusq; sumendus, ita ut usus postulare videbitur. Hac vestra intersunt: quid mihi cum his omnibus negotiis est? Nihil enim meae gloriae cum cibo aut iejunio commune est. An non? Undenam alias quam ex flagitiis vestris iejunandi occasio vobis oborta est? Evidem quod ad me attinet, incolimi adhuc persistente urbe Hierosolymitana, prophetarum seruorum meorum operam mihi adhibui, ut vos ab huiusmodi perditis moribus ad resipiscientiam renocarem, atque ita patria vestra ab excidio vindicaretur. Sed vos aures attentas præbere recusastis. Et australia & campestria: id est, quum tota terra tutò & securè undique incoleretur. Harum vero partium quum meminerit, aequiori multò ratione montibus idem atque eminentioribus locis accidisse significat, ut metu incolae vacarint. Inhabitandi vocabulo, commodam intelligit metusque expertem habitationem.

Factus est ergo sermo domini ad Zachariam in hanc sententiam: Sic ait dominus exercitum, ut dicat, Iudicate iudicium veritatis, & benefici ac misericordes estote quisque erga fratrem suum. Vituduam ac pupillum, peregrinum & pauperem ne per vim opprimatis. Quin ne malum quidem quisque in cordibus vestris contra fratrem suum cogitetis.

Absoluta

Absoluta prioris colloquij parte illa, ubi aiebat, campagna inhabitata fuisse, nouo iam sumpto initio, quæ deerat adhuc superioribus addenda, hic adiicit, ut ille viciſſim audente uniuerso populo eadē repeteret, quæ iam olim à prophetis aperta voce illis significata fuerant. Iudicate iudicium veritatis. Vbi, inquit, oborta fuerit inter duos aliquos lis & controuersia, de qua sententiae ferendæ authritas penes vos erit, videte ut eadem veritati respondeat.

Quod si quis eiusmodi conditionis occurrerit, quocum benignè magis ac remisso, quam stricto iure agi oporteat, (qui gradus iustitiam superat) ita cum eo agite. viduā ac pupillum, peregrinum & pauperem. Infirma est admodum & debilis istiusmodi hominum conditio. Cauendum iterum atque iterum, ne vis ulla à vobis, uel uerbo tenus, uel quo ad res eorundem attineat, ullo modo inferatur. Malum quisque contra fratrem suum: id est, si quid erit cum alieno damno coniunctum, id nemo quisquam uel animo exceptet. Tātū enim abest ut damnum aliquod inferri debeat, ut ne cogitatio quidem sola à culpa immunis esse pos sit. Adhac cogitationi plerunque ad manum præstò esse solent effecta: adeoque etiam ea prorsus interdicitur, ubi operis nihil accedit. Pro eo ac Leuit. 19. scribitur: Ne oderis in corde tuo fratrem tuum.

At noluerunt attendere, obuertentes humerum rebellem: aurēsque suas hebetarunt, ne audirent: & cor suum adamantine fecerunt, ne legem audirent, & verba quæ miserat dominus exercituum in spiritu suo ministerio prophetarum priorum, hinc ingens ira à domino exercituum desæuit.

Ostendit sc̄ merito poenas de illis sumpsisse, utpote qui inobedient-

COMMENTARII KIM HI

tes fuerint, & obuerterint humeros ab onere præceptionum suarum: metaphora sumpta à baiulis.

Humerus ille rebellis auersionem significat, eodem modo quo & Hosea cap. 4. Sicut uitula auersa. Cui enim non lubet, attentas acclamanti aures præbere, tergum ex aduerso opponere solet: nec rectis unquam oculis illum obtueri. Cor adamantinum. Lapis hic obdurus est, & eiusmodi qui ferro expoliri incidique non posse. verba, illa nimirum, quibus acriter eos priores prophetæ incessibant. In spiritu suo, nempe propheticō, qui prophetas iam dictos alloquebatur. hinc ingens ira aduersus maiores uestros.

Et euenit quemadmodum ipse clamauerat, illaq; non audierunt, sic iam clamēt, nec eos exaudiam, dicit dominus exercituum. Quin eos proturbem in omnes gentes quas non nouerunt: terraque post eos desolata sit, ut non sit qui vel pertrāseat, vel cōuersetur, ipsique terram ex optatissimam vastam ac desolatam reddiderunt.

In causa fuerunt peccata eorum vastationis terræ, quæ prius fluebat lacte & melle. Ita & terra quandam desiderabilis, mens scilicet humana, quæ erat hospitium trinitatis, inobedientia & peccatis coloni, vertitur saepe in desertum, habitationemque draconum.

Quemadmodum clamorem illum meo nomine aeditum, promulgatumque parum æquis auribus accipiebant, ita & ego uiciissim uociferantibus illis haudquaquam aures accommodatus sum. Quin eos proturbem. Verbi forma, (quam hic Hebraicè difficultem habes) huismodi quendam sensum præse ferre uidetur, perinde ac si ita diceret: Male enim uero me habebit, & affliget idem illud exilium, quo eos proturbatus sum. Haud aliter atque Esaiæ 63. dicitur: In omni afflictione eorum ipse videbatur affligi:

affligi: ut hominum interim morem ac consuetudinem scriptura sacra loquendo expressisse videatur. Sed alia est ingeniosi cuiusdam & magna authoritatis viri, Rabbi Abra-^{sq[ua]n[sa]m}
hae Esritis interpretatio, qui fælicem sui recordationem posteris reliquit. Immittam, inquit, illis turbinem atque in-^{ob[er]v[an]t}
gentem procellam, quibus in omnia paſſim exterarum gen-^{M[od]i}
tium loca disiecti agentur. Terra valta ac desolata. per ^{sup[er]c[ur]ia] q[ui] s[unt]}
antithesin ei respôdet, quod superius dicebatur, Quum au-^{l[oc]i c[on]siderat}
stralia campestriaque inhabitarentur.

Caput 8.

Rursus factum est verbum domini exercituum in hanc sententiam: Sic dicit dominus exercituum: Ingens studium habeo erga Sionem, ingentique ardore erga ipsum inflammatus sum. Sic dicit dominus: Redij cum Sione in gratiam, habitabóque in medio Hierusalem, ut Hierusalem vocetur ciuitas fida: & mons domini exercituum, mōs sanctus. Sic dixit dominus exercituum: Adhuc senes & manus in plateis Hierusalem habitabūt, quin & decrepiti, qui baculo præ multidudine dierum manus sua innituntur. Adhuc plateæ vrbis plenæ erunt pueris & puellis ludentibus in plateis eius.

Consolatur post cōminaciones, aitque se propter idolatriam cie-
sse Israëlem, & permisisse ut abduceretur in captiuitatem Baby-
lonicam.

Reuertar, id est, condonabo illi peccata. Sunt autem hæc intelligenda de Sione spirituali.

Summam futuram pacem significat, quam hic ab effectis describit. Senes præ senio gestabant scipionem: pueri colludent, &c. Hæc enim fieri solent in summa securitate & alta pace vrbium.

Factum, inquam, est ad me verbum domini in hanc sen-
tentiam,

COMMENTARII KIM HI

tētiam, sub auditō pronomine: Massoritae similem huic defectum alibi non obseruarunt. Ingens studium habeo.

Merx nug^x plurimum huic quidem sententiae solatij inest. Sub ætatem sunt, quæ de Messia id temporis capiendi, quo prælium aduersus Gog futuro Mes- sia prælioque & Magog, urbem Hierosolymitanam oppugnatum olim Iudaïco insu- venturos, inibitur. Evidem ingenti tum temporis, inquit, tano singit: ad Antichri- studio ac fauore eādem prosequar, indignationēmq; acrem stum deferen & acerbam in gētes illas depromam, quæ impetum in eam da sunt, quæ facturæ venient. vocabitur Hierusalem ciuitas fida. de Gog & Magog dicū- Eiusdem verò rei certam fidem facit id quod Sophonie 3. tur, quæ do- legitur, Reliquiæ Israëlis non facient iniquum quid, neque minus interfici loquentur mendacium. Iustitiæ locus passim in terris Israë- ciet spiritu o- liticis futurus est. Sed unius interim urbis Hierosolymita- ris sui, 2. Thes falonic.c.2.

næ meminit, utpote principem locum in regno obtinentis, tum montis etiam illius sacri causa, qui in ea fuit. Mons sanctus. ut ne deinceps ab exteris & impuris hominibus prophanetur. Singulis porrò interstitiis sententiarum, qui bus læti quidpiam explicatur, ad maiorem emphasim & so latij certitudinem adferendam, subiungitur asseueratio il la. sic dicit dominus. bonarum enim lætarumque rerum undique copia affluet. viri baculo manu sua innituntur. Ita hæc accipienda sunt, ut ipsa verba genuina vocum significatione innuere videntur. Quemadmodum & ipse postea ait, præ multitudine dierū. Cætera quæ sequuntur, interpretatione non egent.

Sic dicit dominus exercituum: Etiam si id reliquo huic populo, qui hoc tempore viuit, difficile videtur, num ob id mihi quoque difficile videbitur? dicit dominus exercituum. Sic dicit dominus exercituum: En ego asseram populum meum de terra

terra orientali, & de terra occasus Solis: & adducam eos ut habitent in ipsa Hierusalem: ipsique erunt mihi populus, ego autem ero eis Deus in veritate & iustitia.

Etiam si vobis arduum hoc & difficile videatur, an idem de Deo sentiendum erit, qui haec meo ore promittit?

Sunt qui cum admiratione hæc dicta interpretentur, perinde ac si ita dixisset, Idemne stupēdū mihi aut arduum videbitur? ut illud Genes. 26. Tūn' filius meus Esau? & quæ sunt id genus alia. Sed ingeniosus Rabbi Abraham Esrites (cuius memoriam lubenter amplecti debemus) simplicem planè verborum interpretationem sequitur, in hunc modum: Evidem stupēdi quidpiam illis temporibus adiutorus sum, & quale hactenus à me nequaquam gestum fuit. De terra orientali, & de terra occasus Solis. Orientis & occasus nomine, partem illam orbis uniuersam intelligit, quæ commodam sedibus ponendis habitationem complectitur. Israëlitæ verò nullibi non gentium per orbem hac atque illac disiecti fuere. In ipsa Hierusalem. huius idcirco meminit (ut suprà quoque à nobis dictum est) quia regia sedes in ea posita fuerit, ad quam reliqui omnes Israëlitæ confluere solebāt. Quod postea veritatis mentio fiat, id eodem spectat, quo & illud Hosea 2. Despondebo te mihi in fide.

Sic dicit dominus exercituum: Roborentur manus vestræ, qui auditis in diebus istis verba ista ex ore prophetarum qui fuerunt ab eo die quo iacta sunt fundamenta ædis domini exercituum, & quo templum edificari cœpit. Quoniam ante dies istos merces hominis, ac merces iumentorum nulla fuit.

COMMENTARII KIMHI

Deinde neque pax erat ingredienti & egredienti,
idque propter hostem. Nam ego commisi omnes
homines vnumquenque cum altero.

Hactenus neglecta domo mea, malè vobiscum actum fuit: deinceps
omnia lata & prospera futura sunt.

Permittebam ut mutuis inimicitis homines alij in alios irruerent.

Auditis his ergo euangeliis quæ plurimum vobis solatiū
in posterum adferre possint, colligite iam vires, satagit il-
liusmodi rerum, quas vobis imperauit Deus Opt. Max.
pergit in incœpta ædis ipsius instaurazione: videtis enim
ab eo iam inde tēpore, à quo templi fundamenta iacta sunt,
prospere vobiscum agi cœptum, & immisam benedictio-
nem. Quoniam ante dies istos. id est, nondū iactis tem-
pli fundamentis, (quippe quæ secundum iam annum agen-
te Dario, vicefimoquarto noni mensis iaciebantur) haud
obscure intellexistis mercedem hominis nullam fuisse: nem-
pe benedictionis expertem, imò verò & execrationi obno-
xiā in nihilum prorsus abiisse. Non erat. Perinde ac si
nulla omnino iumēti copia adesset, quandoquidem locatio-
nis merces nulli penitus usui præ maledictione futura erat.
Committendi vocabulo, nocendi facultatē liberam ali-
cui rei factam intelligit, iuxta id quod Leuitici 26. dicitur.
Et emittā in vos bestias agri. pro eo etiam ac in paraphra-
si Chaldaica habetur, & immittam, &c.

Nunc verò iuxta priora tempora cum reliquiis
huius populi non agā, dicit dominus exercituum.
Quin potius semen plenum atque perfectum erit,
vitis proferet fructum suum, & terra dabit pro-
uentum suum, sed & cœli dabunt rorem suum: ef-
ficiāmque ego ut reliquiae huius populi omnia ista
hære-

hæreditate possideant. Fiet quoque hoc quemadmodum vos domus Iehuda & domus Israël execratio fuistis inter gentes, ita seruabo vos, ut sitis benedictio. Netimeatis: quin potius manus vestræ corroborentur.

Reliquarum meminit, quia bona pars populi perierat inter exilium.

Semen pacis Hebraicè dicitur, quod h̄ic plenum atque perfectum redditur, perinde ac si dicat, optimè cum semine vestro agetur: fausta illi omnia succendent, adeò ut pacis ei nomen indi pos̄it. Ionathan eodem modo semen pacis futurum verit. Efficiam ut hæreditate possideant. fieri enimuerò potest, ut h̄ac etiam de illis dicta ab eo intelligantur, qui ea ætate vixerunt, qua floruit ædes secunda: si Dei Opt. Max. præcepta factis expressissent, aut ad Messiae quidem tempora referri debent, id quod & sequens versulus aperte euincit, ubi Iudaicæ & Israëliticæ familiæ meminit, Nam Israëlitæ, manente ad hoc æde secunda, nequaquam sunt reuersi. Execratio fuistis, quoniam dira vobis & execranda gentes imprecabantur. Quin & fame obueniēte aut alio quoquis infortunio alicubi terrarum suarum accepto, Iudæorum ilico apud se commoratiūm impietati, causa eius rei accepta ferebatur. ut sitis benedictio: adeò ut exteræ etiam nationes beatas se atque fælices vestro nomine iudicaturæ sint, eodem nempè modo, quo Gen. 12. dicitur, Eritque benedictio. corroborantur manus vestræ. ubi tempus, inquam, hoc aduenerit, bonarum huiusmodi rerum causa, quas Israëlitico populo olim obuenturas non sine summo animi solatio iam auditis.

Quoniam sic dicit dominus exercituum: Quemadmodum proposui vos affligere, quum ad iracundiam

COMMENTARII KIM HI

diam me patres vestri prouocassent, dicit dominus exercituum, neq; me pœnituit, ita rursus hoc tempore decreui benefacere Hierusalem & domui Iehuda, ne timueritis.

Promittit Deus felicitatem ædificantibus templum materiale, per quam intelligitur abundantia bonorum omnium spiritualium.

Ideo, inquit, nequaquam me pœnituit, quia quod animo prius agitaueram, id re ipsa postea effectum dedi, terris vestris immissa vastitate: vobisque in exilium abductis. Deponite timorem illum, quem ex hostibus contraxistis. Ne formidetis aduersarios vestros, nempe Sanaballetum, aliisque, quos ille sibi socios ascivit, qui hoc sibi futurum persuadent, ut sua opera in presens studium hoc vestrum atque conatus interpelletur.

Hæc verò sunt quæ facietis: Loquimini quisque cum proximo suo veritatem, & iudicium pacis iudicate in portis vestris, ut ne malum vel cogitetis quisque aduersus proximum suum: & iuramentum falsum ne diligatis, quoniam omnia ista sunt quæ odio habeo, dicit dominus.

Iudicium pacis: non captiosum, non obscurum, vnde lites nouæ subinde oboriantur.

Loquimini veritatem, ut ne aliud quidem in lingua promptum, aliud verò corde receditum geratis. Iudicium pacis. Etenim si insta fuerit à vobis lata sententia, conciliabuntur inter se partes aduersæ, prout à maioribus nostris (quorum memoriam lubenter amplector) vulgo consuevit frequens dici, metaphora nempe ab huiusmodi homine detta, qui quum iudicio superiori suas sibi vestes recuperaverit, letus & cantillans interim in viam reddit. Atque ad eundem hunc sensum proverbialem verba illa referunt, quæ Exodi

Exodi decimo octavo legitur: Nempe uniuersus hic populus sedato atque composito animo in sedes suas se recipiet. uniuersum, inquam, ne his quidē exceptis, qui causa sua ceciderint. Alij ex maioribus nostris Iudicium pacis de conciliacione interpretantur, ut cum eo cōueniat, quo quāri solet, quale illud tandem sit iudicium, quod pacem sibi cunctam habeat? tale enim uero dicas esse, quod boni viri arbitrio definitum fuerit. In portis vestris. Ibi enim erat iudicium confessus, ut constat Deuteronomij 25. Ascendat fratria eius ad portam, dicātque senioribus, ut ne malum vel cogitetis. Idem superius explicatum habes cap. 7. ubi aiebat, Quin ne malum quidem quisq; contra fratrem suum cogitetis. Iuramentum falsum ne diligatis. Diligendi vocabulo usus est, ut ei ex aduerso à propositu respondeat, quod postea odio, inquit, habeo: perinde ac si hūc in modum dicar: Quod ingratū mihi atque iniūsum est, id amore vos & studio ne prosequamini. Omnia ista sunt. nempe ut alius alijs vel animo male velit, ut iuramentū temere violet, & quae præterea superioribus. i. iustitiae ac paci, ex diametro repugnat, ideoq; generatim omnia ista complexus est.

Et factus est sermo domini exercituum ad me in hanc sententiam: Sic dicit dominus exercituum, Ieiunium quarti, ieiunium quinti, ieiunium septimi & ieiunium decimi verteret domui Ichudæ in gaudium & lætitiam & in statas ferias iucundas: pacem igitur & veritatem diligite.

Mense quarto, capta fuit ciuitas: quinto, euersa: septimo, imperfectus Godolias: decimo, rex Babylonis oppugnare coepit Hierusalem. Seriem numeri, non ordinem rei gestæ obseruauit propheta. Nam oppugnatio omnium prima recensenda fuerat. Figura est ὅτε οὐ περιέστησεν.

Quod si factis ea quæ à me vobis prescripta sunt, prestiti
l. iii teritis

COMMENTARII KIM HI

teritis, illud vobis tanquā ex oraculo diuino responsum habetote, nihil tum temporis loci ieuniis amplius futurum, de quibus in præsentiarum, obseruanda sint nécne, consultum misistis. imò verò lātos eosdē hilaresque dies agetis, præ bonarum rerum undiq; vobis affluentium copia. Ieiunium quarti. Mensis hic Iunius appellatur, cuius decimus septimus dies, interim dū in exilio agebatur, ieunio sacer erat, fissuræ illius nomine, quæ mænibus urbis in eo acciderit. Ieiunium quinti. Cui Iulio nomen est, eiūsque itidem nō nus (utpote qui excidium prorsus urbi attulerit) ieunio cōsecrabatur. Ieiunium septimi. Huius enim uero indicendi causam Godolias præbuit, ut superius à nobis indicatum est. Ieiunium decimi. Decembribus hic decimus dies est, quo proprius urbi castra Babyloniae rex admouit, vertetur, inquam, singuli, quos iam diximus, dies in gaudium & latitiam Domui Iehuda. florēte quidem adhuc aedis redintegratione: (nam aliæ decem tribus haudquam redi-ces factæ sunt:) sed ita tamen, ut pro eo ac à me vobis imperatum est, veritatis pacisque tuendæ studio incumbatis.

Sic dicit dominus exercituum: Erit adhuc ut populi & multarum ciuitarum habitatores veniant, eātq; ciuis vnius ad aliam dicens, Agite, eamus supplicatum faciem domini, & inquisitum dominum exercituum: vadam & ego. Adhuc populi multi & gentes robustæ ibunt quæsitoræ dominum exercitum in Hierusalem, supplicaturæ quoque faciem domini. Sic dicit dominus exercituum, Fiet & hoc in diebus illis, ut apprehendant deni viri ex omnibus lingulis gentium, apprehendāt, inquam, aliam alicuius Iudæi, cum huiusmodi sermone, Ibimus vobiscum,

vobiscum, quia audiuimus Deum esse vobiscum.

Prædictur conuersio gentium ad Christum Messiam, & vehemens eorum hominum studium, qui Iudæ patriarchæ fidem, confitendo Iesum esse Christum filium Dei imitantur: Iudas enim confessionem sonat.

Etiam adhuc, inquit, futurum est, nempe ætate Messiae, ut turbæ confluant, qualis eiusdem particulae Hebraicæ od significatio Genes. 29. occurrit: Supereft adhuc multum diei. Itidem & Hoseæ 12. Habitare te faciam etiam adhuc in tentoriis: aliisque id genus locis. vadam & ego. pro eo ac Chaldaica paraphrasis habet: Alius alium huiusmodi verbis compellabit, ibo & ego unâ tecum. Gentes robustæ: id est, multæ numero, quæ admodum & Hieremiae 15. Robustæ mihi fuerunt viduæ eius præ harena maris, quantitatis significandæ loco positæ: & est eiusdem rei repetitio, sed aliis atque aliis verbis expressa. Chaldaeus paraphrastes vertit, & regna magnifica. Ut appræhendant. Quod hactenus quidem à me vobis prædictum est, tum temporis eueniet, quum appræhenderint, &c. ac deinde appræhensuros eos ostendit illis verbis, quibus ait, Appræhendent, inquam. Hæc autem eò spectant, ut mutuam inter illos rerum communionem quam logissimè fieri possit, extendant: æquè ac Iudicum 9. de Iotham dicitur: Si bona fide & candidè agitis, &c. Deni viri. Numerus hoc loco nequaquam definite & strictè (ut dici solet) accipiens est, sed pro eo potius, qui estimatione constat: quemadmodum & Leuit. 16. Coquent decem mulieres panem suum: & alia id genus loca.

Caput 9.

Onus verbi domini in terra Hadrach & Damasco demittet se, quoniam ad dominū oculus hominis,

COMMENTARII KIM HI

nis, & omnium tribuum Israëlis dirigetur. Sed & Hamath terminus eius erit, Tyrus & Sidon quantu[m] sapiens. Aedificauit munitione sibi Tyrus, & congregauit arg[ument]um vt puluerem, & aurum purum putum, vt lutum platearum. Ecce dominus possidebit eam, & percutiet in mari exercitum eius: ipsa verò igne absumetur.

Omnis hæc visio ad vocationem gentium & extirpationem ecclesiæ pertinet.

Hadrach & Damascus regiones gentium, erunt habitatio eius per fidem, i. non solum Iudæi, sed & omnes alia regiones credent in Christum. Dominus ex æquo omnes ad se vocat.

Tyrus alias inexpugnabilis, expugnabitur verbo Dei. Quod de quibusdam nominatim hic prædictitur, de aliis omnibus gentium oppidis dictum intelligi debet.

Eiiciet eam: nempe habitatores eius idololatras, & tradet eam habitandam fidelibus.

Igne absumetur: id est, habitatores eius recipient spiritum sanctum: qui visibili signo in initio ecclesiæ dabatur: vt in Pentecoste Apostoli, &c cæt.

Contigit præsens hæc prophetia in regione Hadrach, & Damasco: Ibi enim requies, inquit, eius fuit, ibi acquieuit. Aut ita etiam accipi potest, ut prophetæ locum perinde in terra Hadrach, atque Israëlitica, futurum aliquando dicat: utpote quæ in partem Israëliticæ terræ cessura sit. Atq[ue] hoc quidem sensu Damascus erit requies eius, nempe sedes, in qua gloria ipsius & prophetica vis reponetur. Quoniam ad dominum oculus hominis. Omnia, inquit, hominum oculi tum temporis in Deum Opt. Max. non amplius in idola & inania simulachra defixi erunt: ideoque terra illa uniuersa, quam Hadrach & Damascus continent, & alia itidem loca Iudææ finitima (qualia sunt Tyrus, Sidon, Hamath, & pleraque Palæstinorum oppida) urbium Iudeïcarum

Spiritualiter
hæc intellige-
da sunt.

daicarum nomine censemuntur, & in Israëlitarum fidem se
recipient. Et omnium tribuum Israëlis. Quanto ergo
magis hoc idem in Israëlitica familia locum habebit, ut ea
ad Deum Opt. Max. tum oculos, tum mentem conuertat?
aut ita verba ea legi possunt, perinde ac si omnium homi-
num oculos ad Deum & ad Israëlitas conuersos iri dicat,
nempe ad insequenda eorundem vestigia, quemadmodum
idem superius cap. 8. aiebat: Eamus & nos una vobiscum.
Sed & Hamath. Huius quidem urbis, utpote magnæ at-
que præstantis sigillatim meminit: æquè ac Amos cap. 6.
ubi Hamath magnam vocat. Est autem urbs ea extra fi-
nes Israëliticae terræ sita: & una ex his quæ regionem Is-
raëlitarum suis finibus circunscribunt. Sed illis tamen tem-
poribus futurū ait, ut medium inter illius pomæria locum
occupet, atque hoc illud est quod ait, Hamath terminus
eius erit, Tyrus & Sidon quātumuis sapiens. Quin
& Tyrus, inquit, & Sidon finitima oppida, quoad eius
quidem fines ac terminos, medijs rationem habitura sunt.
Sapientem hoc loco Tyrum appellat, quemadmodum &
Ezechiel, cap. 28. ubi de Tyro agitur. Sensus verò ita se ha-
bet, qd quum sua quidem opinione prioribus sæculis sapiens
sibi visa fuerit, frustra tamen id factum sit, & sine ullo usu
suo. Cæterū eadem sub aduentum Messiae, nequaquam
amplius in sua sapientia spem reponet, sed vietas potius &
suplices manus Israëli dabit. Aedificabit sibi muni-
tionem. Postquam enim munitissimum sibi præsidium an-
nis superioribus extruxisset, postquam argenti quoque atq;
auri præstantissimi magnam copiam accumulasset, adeò ut
puluerem terræ, lutumue platearum numero æquare posse
videretur, nihil tamen huic commodi, nihil emolumenti re-

m tulit.

COMMENTARII KIM HI

tulit. Nam ecce dominus possidebit eam, aut deturabit potius, & exuet dignitate sua. Et percutiet in mari exercitum eius: ad eum quidem modum, quem habes in Ezechiele explicatum. Quibus omnibus ad memoriam renovatis, sub aduentum Messiae, submissè de se sentiet, & quanuis id temporis sedes iam dictas occupet, eiusdem tamen loci nequaquam à prima hominum memoria indigena fuit. Quod ad Tyrum attinet, res est illa quidem minimè obscura, cuius & apud prophetas saepe mentio fit, & apud Christianos historia texitur, eiusdem urbis incolas, ut hodie se habent tempora: iidemque etiam ætate quam diximus, eadem loca occupabant.

Videbit Ascalon, & timebit, & Gaza, & vehementer dolebit, & Accaron, quoniam pudefacta est à respiciendo: peribit quoque rex Gaza, & Ascalon non inhabitabitur. Habitabit quoque nothus in Asoto, & exterminabo superbiam Palæstinorū. Auferam deinde sanguinē eius ab ore eius, & abominationes è dētibus eius. Residuum verò erit Dei nostri, eritque ut dux in Iuda & Accaron ut Iebus. Et circumducam castrum domui meæ contra transeuntem & redeuntem, neque transibit ultra per eam exactor, quia nunc vidi oculis meis.

Rex Gaza, idolum appellatur, quod in ea regione pro rege habebatur. Sensus est omnium quæ hoc loco dicuntur, fore ut idolatria vbiq; è medio tollatur, non solum è Gaza, sed ex urbibus etiam Palæstinorum. Nam & Palæstini adiicientur Christianæ religioni.

Auferet sanguinem: id est, verba blasphemie, & abominationes idolorum: cultum & csum eorū, quæ immolata sunt idolis de medio dentium eorum.

Vbi Ascalon, inquit, Tyrum in alienam potestatem concessisse

cessisse viderit, ipsa se quoque dederit. Cæterum quod ad Ty-
rum & Sidonem attinet (quarum superiori sectione memi-
nit) non ineptè fortasse sensus verborum ad id referendus
videatur, quod sequenti versiculo adiicitur, nempe & ædi-
ficauit Tyrus. Hamath, inquit, terminus eius erit. Sed
Tyrus interim sibi persuadebit, resistendo Israëli se parem
fore, & æquo pede cum illo staturam: quippe quæ sapiens
admodum sibi videatur: ut Ezechielis libellus testatur.
Huic finitima & vicina erat Sidon, earum semper par-
tium studiosa, ac proinde Tyro inniti quodam modo vide-
batur. Aedificauit ergo munitionem: cuius ope euasuram
se & incolumem futuram sperare posset, adiuncta etiam
argenti aurique bona copia, quam congefferat. Sed hæc om-
nia nulli prorsus usui futura sunt. Deus enim Opt. Max.
eam pessum dabit. Munitionis porrò nomine, turrim præ-
validam intelligit: æquè ac 2. Paralip. 14. vocabuli eadem
significatio occurrit, Et ædificauit urbes munitas. Quin &
Ionathan eodem modo vertit: Extruxitq; Tyrus robur &
præsidium sibi: Harutz (quod Hebraïcè aurum purum pu-
tum significat) in uniuersum pro auro posuit: quemadmo-
dum & Psalm. 68. Cuius alæ fuluae sunt auro purissimo.
Cuius loco & Ionathan, aurum similiter vertit. Pro eo
quod alias Dominus possidebit eam, in eodem contex-
tu legitur: hoc loco magis quadrabit, ut ablegandi à se &
emittendi significationē expressam intelligas: æquè ac Deut.
18. ubi verba illa occurrent, Eiici eos à facie tua dñs Deus
tuus: & aliis itidē huic similibus locis: quem eundē sensum
Chaldaeus paraphras̄tes fecerunt. Et percutiet in mari
exercitum eius. Quicquid erat opum atque diuitiarum,
in quo spem suam fixam ponebat, maris cataclysmo vasta-
m ij bitur.

COMMENTARII KIMHI.

bitur. Ipsam deinde quum igne absumptam iri dicat, urbem, edificia, turres, & alia praesidia, quibus illa fidebat, ad unum omnia conflagratura intelligit, igne per medium ipsius grassante. Tum demum ubi Tyro Dei Opt. Max. opera inductam vastitatem intellexerit Ascalon, næ ipsa per timescet, & Israëli victas manus porriget. Eadem & Gaza & Accaronis futura est conditio. Quoniam pudefacta est à respiciendo: nempe à Tyro: quam fixis oculis intuebatur: incolumentem sibi ex ea pollicens virium nomine, quibus illa præstabat. Vult autem dicere unā cum Tyro, Dei quidem opera euersa, pudorem etiam illis incutendum, qui oculos in eam coniiciebant. Chaldaea paraphrasis pudorem hunc Accaroni attribuit, ut hic sit sensus: Pudefacta est Accaron à respiciendo. Verit enim, quia confusa est & turpiter lapsa de eo, in quo spem suam ponebat. Peribit quoque rex Gaza. Status enim regni unā cum rege, qui tum temporis erit, ad Israëlem deuoluetur. Ascalon non inhabitabit: ab iisdem illis incolis, qui tum in ea reperientur. Est enim ea Israëlitarum sedes futura. Habitabit quoque nothus in Asoto. Sunt qui Mamzer gentis nomen interpretentur. Alij extores urbibus Israëliticis, seorsim in oppidis Palæstinorum habitaturos intelligunt, interdicta reliqui cætus communione. Potest autem & ita accipi, ut aduerbum similitudinis deesse intelligatur: nempe habitabit nothus: id est, quasi nothus & peregrinus: quemadmodum Deuter. 23. dicitur: Mamzer non ingredietur in cætum domini. Sententia ita se habet: Qui hodie Palæstinus Asotum incolit, nō aliter ac nothus quispiam & peregrinus tum temporis ibi habitabit. Sunt enim in Israëlitarum manu atque potestate futuri. Atque hoc illud

illud est, quod postea ait, Exterminabo superbiam Palestinarum. Auflam deinde sanguinem eius de ore eius. Figurata locutio est, perinde ac si dicat id quod comedit Israël & absumpit seu concoxit, nimis sanguinem & abominationes: Cordis, inquit, ac morum improbitatem, cui apud eos locus est, penitus extirpabo. Residuum vero erit Dei nostri. Quotquot enim uero etiam ex eo numero, cordis integritate prediti supererunt, eos quidem Deo Opt. Max. reliquos faciam, ducis loco in Iuda futuros. Residui nomine filios alienigenarum diuino cultui addictos intelligit, de quibus Esaiæ 56. illa dicuntur: Adducam eos ad montem meum sanctum, & exhilarabo eos in æde mea oratoria. Eodem nempe hi loco futuri sunt, quo dux aliquis, aut egregius praefectus inter Iudeos. Et Accaron ut Iebusæus par erit & aequalis conditio ciuis Accaronis & Hierosolymitani. Iudeæ vero potissimum meminit, ob montem ædemque oratorium in eo sitam. Cæterum obseruandissimus mihi pater, idem ac dominus meus (cuius memoriam lubens amplector) sanguinem eius & abominationes eius ita interpretatur, ut oris illam peruersitatem & prauam loquendi consuetudinem significant, cui gentes exteræ atque alienigenæ assuerunt. Et circumducam castrum domui meæ. Firmissimi praesidijs loco futurus sum familiæ Israëliticæ, nempe domui meæ: nomenque meum eam obfirmabit, ita ut ne ab impetu vel indagine irruentis exercitus quicquam reformidet, perinde ac si copiæ instructæ eidem adessent: nec erit pro ullo pacto malum sibi alicunde metuere debeat, aut domi aut foris, à transeunte vel redeunte. Quia nunc vidi oculis meis. Iam, inquit, etiam hoc ipso tempore cer-

COMMENTARII KIMHI

no futuram hanc l̄etam faustāmque rerum conditionem.
Vidi. non me latēt ærumna ac mala, quibus inter exilium
exagitati estis à gentibus. Evidem eripiam vos huiusmo-
di malis, & efficiam ut nullo non bonorum genere afflu-
atis. Quum vidisse se dicat, eodem loquendi genere utitur,
quo & Exod. 2. ubi ait: *Viditque Deus filios Isræl. Quā-*
quam ingeniosus Rabbi Abraham Esrites ad prophetam
hæc verba referat: ut ille hūc in modum diceret: Quæ sunt
bactenus à me commemorata, prophetico spiritu ea quidem
omnia per visum nocturnum etiam in præsentiarum mihi
apparuerunt.

Exulta vehementer filia Sion, iubila filia Hieru-
salem. En rex tuus veniet tibi iustus, & seruator ip-
se, mitis, vehens super asino & pullo asinarum. Ex-
cindámque currus ex Ephraïm, & equos ex Hie-
rusalem, excindetúrque arcus bellicus, & loquerut
pacem gentibus, & imperium eius pertinget à ma-
ri ad mare, & à fluvio usque ad fines terræ. Et tu in
sanguine fœderis tui. Dimisi vincos tuos de lacu
in quo non est aqua.

Iustus & seruatus ipse. Videri quidem poterat infidelibus Christus
nocens & iniustus, utpote qui in crucem adactus sit à Iudæis, quum re-
ipsa tamen fuerit innocentissimus. Sed nihil in eum poterunt Iudæo-
rum insidiæ & calumniæ. Seruabitur, siue seruabit se, & deuicta mor-
te, resurget propria virtute: nec mors amplius in eum dominabitur.

Hanc prophetiam impletam credimus, quando dominus ingressus
est Hierusalem, sedens super asinam & pullum asinæ: & puerorum tur-
ba palmarum ramis viam strauit, Matth. 21.

Asina gens Iudaïca, quæ legis iugum diu tulit: pullus filius asinæ,
gentes quæ sine lege viuebant.

Apostrophe ad Christum. In sanguine passionis tuæ, eos qui vinceti
in carcere tenebantur, (vbi nulla fuit misericordia) tua clementia libe-
rasti. vel de his intelligi hæc verba poterunt, qui vñà cum Christo re-
surrexer-

surrexerunt, & apparuerunt in ciuitate sancta.

Sionis hoc loco urbisque Hierosolymitanæ potissimum
meminit, utpote quæ principem in regno locum tenuit. Iu-
stus & seruator ipse: id est, iustitiae fouendæ studiosum
sese geret: eoque nomine sua cum integritas in columem ser-
uabit, ab aduersariorum ense, nempe Gog & Magog. In
dictione verò ea quæ mitem hoc loco significat, viciſſitu-
dinaria quædā est literarum æquivalētia. Ani pro Anav:
quemadmodum & Ionathan interpretatus est: qui man-
suetum vertit. In quem eundem ſenſum & illa dicuntur
Eſaiæ 42. Non clamabit, neque efferetur, non faciet audi-
ri in platea vocem ſuam: arundinem fractam non conteret,
&c. Vehens ſuper alino. Non quòd alia ei iumenta de-
futura ſint, quippe cuius imperio totus orbis parebit: ſed mo-
destiae ac mansuetudinis exercendæ cauſa, præterea etiam
ut oſtendat haudquaquam Iſraēlitis equorum curruūmve
copia opus fore. Quocirca & illa ſubiungit: Excindam
currus ex Ephraim, & equos ex Hierusalem. Quū
alino pullū alinarū adiicit, eandem proſuſ rem aliis atq;
aliis verbis explicat. Meminit porrò pulli, qui tener adhuc
eſt, & aetate nō multūm prouectus. Huiusmodi verò plærū-
que ad vecturam eligi ſolet: quale quid & Iudicum 10. de
ſiliis Iair legitur, qui tribus alinis inſidebant. Cæterū q
pullum alinarum pluraliter dicat: tantundem eſt, ac ſi
pullum alicuius alinæ dixiſſet: qualis & illa loquendi phra-
ſis eſt, quæ Iudicum 12. occurrit: Sepultus eſt in ciuitatibus
Galaad: nempe in una aliqua ciuitate Galaaditica. Et ex-
cindam. Similis huic & ille locus eſt, qui in vaticinio Mi-
cheæ ſcribitur cap. 5. in hæc verba: Et excindam equos tuos
de medio tui, perdámque currus tuos. Meminit autem
utriusq;

COMMENTARII KIM HI

utriusq; tam Ephraïm quām urbis Hierosolymitanæ, quoniam quum priscis illis temporibus regnum bifarium diuisum fuerit, eiusdem pars vtraque sub ætatem Messiae in unam coalitura est. Et loquetur pacē gentibus. Quod si gentes inter se bello fortasse alia cum aliis commissæ fuerint, eo authore in gratiam redibunt. Omnes enim ubique gentium homines morigeri, dictōque illi audientes futuri sunt. Et dominabitur à mari ad mare. A mari (inquit sapiens Rabbi Abraham Esrites) Meridionali, quod Rubrum appellatur, ad Septentrionale usque, cui Oceano nomen est. A flumine ad terminos terræ: ab eo nempe flumine, quod ex horto illo amoenissimo, in parte Orientali sito scaturit ad extremas usque Occidentalis mundi plagas. Eccecum tibi verbis huiusmodi prædictum fore aliquando, ut ubique terrarum per orbem uniuersum imperet. Et tu in sanguine foederis tui. Hæc ad cætum Israëliticū spectant. Quemadmodum verò hactenus de rege Messia futurum dixerat, ut iustitiae suæ nomine periculis eximetur, ita & tu seruabere, inquit, & in columnis euades, ô Israël. in sanguine foederis tui: nempe circuncisionis, cui mordicus inter exiliū Israëlitæ magis quām aliis ullis preceptis inhæserunt. De lacu in quo non est aqua: nempe de exilio. Sunt autem qui per sanguinem foederis tui, fædus illud intelligent, à Deo Opt. Max. in monte Sinai cum Israële percussum. Cæterū pater, idem ac dominus meus fælicis recordationis, aquam, metaphoricōs propheticōs spiritus afflatum interpretatur, qui exilij tempore intercludebatur, nullo post Haggæū Zachariā & Malachiā relictō propheta. Quale quid in Esaiæ vaticinio legitur, c. ss. Agite vos omnes quotquot sititis, venite ad aquas, &c.

Reuer-

Reuertimini ad munitionem vos vin̄ti qui spem habuistis, quin & hodie annūcio, quòd duplicitia sim tibi redditurus. Quoniam tetendi mihi Ichudam veluti arcum, Ephraim imposui, & excitaui filios tuos ô Sion, contra filios tuos ô Græcia, ponámque te veluti gladium herois: & dominus super eos apparebit, egredieturque vt fulgur sagitta eius. Dominus Deus buccina concinet, ibitque in tēpestatibus austri. Dominus exercituum proteget eos vt deuorent & subigant lapides fundæ. Bibent insuper & frement, vt qui vino exhilarantur, redundabuntque vt phiala sparsoria, & vt cornua aræ.

Propterea & vos ô Israëlite, qui vin̄ti eratis, & sperabatis in domino, reuertimini ad munitissimā Hierusalem, quæ est ecclesia: quoniam hodie vobis habetis dominum pollicentem, q̄ pro breui captiuitatis æcumna, duplicata omnia bona recepturi sitis.

Tetendi Iudam: id est, vtar opera apostolorum, qui Iudei fuerunt, tanquam arcu in expugnandis gentibus per prædicationem euangelij: vt qui prius lapides fundæ i. homines noxii dicebantur, iam incipient esse lapides pretiosi, virtutum gemmis ornati.

Maxima quædam latitia & animi voluptas describitur, quam homines verè pīj è prædicatione euangelij capient, vt pote quæ mirum in modum exhilaratura sit audientium præcordia.

Interpretes nonnulli sententiam huius paragraphi ad instauratae ædis dominicæ tempora referunt. Atque eidem interpretationi consona reperitur honorandæ memorie patris, eiusdemque domini mei expositio, vt de secunda domo intelligatur, nisi quòd alteram ipsius partem æquè ac prioris futuram adhuc explicet. Qum reuerti ad munitionem iubet, Reuertimini, inquit, ad Deum Opt. Max. qui præsidij arcisque munitissimæ loco est. Vin̄ti qui spem

n habui-

COMMENTARII KIMHI

habuistis. *Vinctos* ideo appellat, quia abducti fuerant in exilium, quasiq; vinculis quibusdam irretiti: bonam tamen spem interim de futura aliquando manumissione per aliquot annos apud se concipiebant. Quin & hodie annūcio quod duplicita sim tibi redditurus. Aliud (inquit Deus Opt. Max.) euāgelium propheta tibi narrabit, ab hoc tempore non longè dis̄sum, quod priori quidem adiungetur: atque illud huiusmodi est, quod Israēlitā florente iam æde secunda, Deum vindicem & assertorem habituri sint, qui eos Græcorum potestate manumissos sartos tec̄tosque cōseruabit, adhibita ad id Matthathiae, summi illius sacerdotis, patre Ioanne prognati, ac liberorum ipsius opera. *Vt mea* verò fert opinio, tota sententia futurum adhuc tempus respicit. At enim primum omnium interpretationem illorum sequar, qui ad ædem secundam eandem referunt. Quoniam tetendi mihi Ichudam. Familia, inquit, Iudaïca arcus instar mihi futura est, quem contra Græcos int̄ēdam: id est, utar Israēlitarum opera ad bellum contra Græcos gerendum. Imposui Ephraīm, vel impleui potius: ut 4. Reg. 9. Impleuit manum suam arcu. quod est summis viribus arcum intendere ad emitendam sagittam. Meminit porrò Ephraīm hoc loco, tametsi re ipsa familiæ Ephraīmiticæ ac reliquis itidem tribubus nihil cum æde secunda commune fuerit. Etenim quo tempore sub Hosee filio Elæ decem tribus in exilium migrarunt, superstites adhuc nonnulli in patria manserunt, pauci illi quidem numero: prout videre est 2. Paralip. 34. ubi Iosiae res gestæ describuntur: De pecuniis, inquit, quas collegerant de manu Manasse & Ephraīm, & de uniuersis reliquiis Israēl. quorum ut communis postea cum Iuda ac Beniamin in Babylonem

lonem migratio fuit, ita & reditus in patriam unà cum
prædictis Iuda ac Beniamin idem prorsus erat. Et excita-
bo filios tuos ô Sion. Animos illis ac robur indam, ma-
ctos viribus efficiam Israëlitas contra Græcos. Atque eô-
dem pertinet, quod postea subiungit, & ponam te veluti
gladium herois. Deinde dominus, inquit, super eos
apparebit: id est, pugnabit aduersus eos. buccina conci-
net. quasi clasicum prælantium more, & Martium cla-
morem ædet. Ibítq; in tempestatibus austri. Sænus ad-
modum & procellosus eius impetus in Græcos futurus est:
iuxta id quod Nahum 1. dicitur: Domini via per turbi-
nem & procellam est. Austri (quæ plaga est Meridionalis)
ideò meminit, quia turbines inde atque procellæ oriri so-
leant: quemadmodum Job. 37. constat. Ex penetralibus nu-
bis venit turbo: ventus nimirūm australis: ut 9. eiusdem di-
citur: Qui fecit Arcturū, Cinosuram & Pleiadas, & au-
stri penetralia: nempe meridiem. Jonathan in eundem sen-
sum vertit: Et ducet, inquit, in turbinem australem vētus.
Dominus exercituum proteget eos: Iudæos scilicet,
& Ephraimitas huiusmodi, quorum superius meminit. Ut
deuorent & subigant lapides fundæ. Nec hoc satis
erit, tutelam eorum in se suscepisse, ita ut in hostium po-
statem nequaquam venire possint, nisi & hostes eorundem
opera absumantur, & si qui reliqui fuerint, seruilem pror-
sus conditionem experiantur. Græcos porro aptissimo no-
mine lapides fundæ vocat, utpote missiles, & huiusmo-
di quales à funditoribus torqueri soleant. Quia Iudæos il-
liusmodi lapillis coparat, quibus diadema seu corona insi-
gniri solet: utpote magni pretij margaritis, & id genus aliis,
qui vulgo adhibentur ornandis coronis. Bibent insuper

COMMENTARII KIM HI

& frement: ut qui vino exhilarantur: id est, ad satietatem usque fundendo, hostium sanguine sese expleturi sunt, magno strepitu atq; clamore in eos gravabuntur: haud aliter ac si vino se ingurgitassent. Quæ phrasis loquendi quam proximè accedere videtur ad id quod Esaiæ 49. dicitur: Et sanguine suo ceu musto inebriabuntur. De strepitu atque clamore quem adet, codem modo hic loquitur, quo prædictus idem propheta 39. ubi, Estote, inquit, ebrij, sed non vino: fremit, sed absque sicera. Redundabuntque ut phiala sparsoria, & ut cornua aræ. Satiabuntur hostium suorum sanguine, quem affatim haurient, haud aliter ac gutturnum (quo victimarum sanguis excipitur) aut anguli altaris, quibus idem sanguis aspergitur, ad summum usque expleri solent.

Et seruabit dominus Deus illorū in die illa quasi oves populum suum, quia ut lapides consecrati in sublime ferentur super terram eius. Quanta enim bonitas eius, & quanta pulchritudo eius, frumentum iuuenes, & vinum virgines succulentas & vegetas reddet.

Qualis vulgo seruandis ovi bus ab hominibus cura adhiberi solet, parem Deus Opt. Max. incolumentati populo suo præstandæ adhibebit. Nam & populus oves eius habentur. Alij simili eos modo seruandos interpretantur, quo Mosis olim opera seruati fuere: utpote qui non aliter eos haberit, atque oves pasci soleant: quemadmodum P sal. 77. dicitur: Deduxisti populum tuum velut ouem in manu Mosis & Aarons. Quia ut lapides consecrati. Iudei quidem & Ephraimitæ non minori in pretio futuri sunt, quam lapides egregij & ornando diademati dicati: nempe in

IN ZACHARIAM:

in sublimem locum educti, qui terra illius est, augustissimo ipsius numini consecrata. Quanta enim bonitas, & quanta pulchritudo eius? Quam pulchri, inquit, fructus in eorum regione nascentur, quam præstantis vini atque frumenti copia? unde iuuenum ac puellarum egregiae formæ corpora (qui tum temporis erunt) vegeta ac bene curata cute turgebunt.

Caput 10.

Postulate à domino pluuiam serotino tempore, edetque dominus emicationes, & imbre vberem dabit eis, cuique herbam in agro. Etenim idola ipsa vana loquuta sunt, & diuini médacium viderunt, somnia inania loquuti sunt, & frustra consolantur. idcirco emigrarunt vt oues, & afflicti sunt, vt quæ pastorem non habent.

Pergit adhuc ea beneficia enumerare, quæ Christi temporibus piis omnibus carentia sunt.

Pluuiia, doctrina euangelica: tempus pluuiæ serotinæ, tempus est Christi: quicquid patrē rogauerint fideles in nomine Christi, impetrabunt. Etiam si pluuiam petant, quo tempore raro accidere solet, dabit tamen illis.

Si pluuiam tum temporis à Deo Opt. Max. efflagitaueritis, ratam ilico vestram orationem habebit: emitte fulgetra & coruscationes, ac deinde pluuiam. Solent enim huiusmodi fulgetra pluuiam plarunque comitem sociamq; habere: quemadmodum Iobi 28. dicitur: Præfigedo pluuiæ terminum & viam fulguri, atque tonitruis. Ea vero hoc nomine exprimuntur, quæ pluuiæ tempore fragorem ipsum albicante specie anteuerunt. Forma autem nominis ad quintam classem attinet: eiisque loco maiores nostri nubem vertut. Quod mox de serotino tempore subiungit, pluuiam

n*ij* omnino

COMMENTARII KIM HI

omnino postremam intelligit, utpote quæ mense Martio accidat: perinde ac si quis tempore vel serotino etiam ac postremo pluuiam se illis impertiturum dicat, ubi ea opus fuerit, qua citissimè grama adolescere & augeri possint. pro eo quod Latine imbre vberem vertimus, Hebræi cè imbre pluiae syntacticas dixit, ut casus alter ab altero regatur: quo modo & Danielis 12. terra pulueris appellatur. & Psalmo 40. lutum cœni. quum interim affatim se pluiae illius ætatis hominibus daturum intelligat. Cuique herbam in agro, id est, nemo quisquam inter eos futurus est, cuius agellus illa pluvia non herbescat. Quin & tale quid à maioribus nostris, (piæ illis quidem memoria) proditum extat. huiusmodi Dei Opt. Max. ingenium atque indolem esse, ut quantis per Israëlitæ diuinæ suæ voluntati se moresque suos accommodarint, is vicissim illorum votis respondeat, adeoque si unu alicui pluia opus fuerit, alteri verò non itidem, apud unum solum pluiae locus futurus sit. imò, si in agro aliquo hortoune hæc herba aqua indigerit, illa non itidem fore ut altera sola compluatur. Quæ sententia probum quendam virum authorem habet, in hæc verba dicentem: Hic campus efflagitat pluuiam, alius verò nequaquam. Etenim idola. nempe illud pro comperto habebunt, idolorum verbis solidi nihil inesse. contrà verò rata omnia fore, & re ipsa confirmata iri, quæ à veris prophetis prædicta fuerant, siue male ominosa & aduersa quo ad vastandam terram, siue leta & prospera stato suo tempore euentura. Intelligent autem tum temporis cum ipsis simulachrorū cultores, quorum oracula fraudi illis fuere, ante vastitatem terræ inductam, tum somniorum fucatos interpretes, qui pacem ipsis ante urbis excidium futuram polliceban-

licebantur, frustrà suis verbis iussisse ut bonam spem animo conciperent, frustrà solatum attulisse: breuiter aliud nihil quam mendacium dixisse. Idcirco emigrarunt. relictis suis sedibus in exilium abducti sunt, haud aliter ac oves pastore destitutæ. Afflicti sunt. Affligendi verbum hoc loco deiectionem animi significat, quemadmodum et Esaiæ 31. ubi ait: Neque ad tumultū eorum animum deicit, quod tantundem est, ac si prosterneat alieno imperio subiici dixisset.

Contra pastores nasus meus incanduit, visitabóque hircos, quoniā visitauit dominus exercituum gregem suum, nempe domū Iehuda: & posuit eos ut equum gloriæ suæ in bello. Ex ipso est angulus, ex ipso clavis, ex ipso arcus bellicus, ex ipso denique exhibet pariter omnis exactor. Erunt ut robusti milites, qui in ipso prælio ut lutum platearum conculant, & bellum gerēt, quoniam dominus adest eis, ut pudeant qui equos inscendunt. Corrobora bo ego domum Iuda, & domum Ioseph seruabo: & reuersos collocabo, quoniam miseret me eorum: eruntque ac si nunquam eos repulisse, quia ego dominus Deus eorum qui eos exaudiam. Ephraïm ut heros erit: latabitur cor eorum, ut eius qui vino exhilaratur, quod videbunt filij eorum, simûlque gaudebunt, & exultabit cor eorum in domino.

Præteriorum malorum recordatione deterret ab inobedientia maiisque moribus: ostendit enim se grauiter animaduertisse in improbos, quos hircos vocat, ut similes in posterum penas expectent, qui simili modo fescerent. Suos tamen semper sibi curæ futuros.

Ostendit curam totius ecclesiæ vni Christo incumbere, qui idem rex sit & sacerdos, lapis angularis, clavis, paxillus, arcus bellicus, &c.

Tametsi omnes in Adamo peccauerint, me tamē authore redempti perinde

COMMENTARII KIMHI

perinde erunt, ac si non peccasset, si per fidem ad me conuersi sele re-
ceperint.

Contra pastores: id est, contra Græcorū principes, quip-
pe qui ludibriis aliisque indignis modis Israëlitas excepe-
rint, Machabæorum familia nondum se illis opponente.
Quia verò similitudine superiùs Israëlitas ouibus compa-
rauit, eadem iam principes (penes quos summa rerum erat)
pastores vocat, aut hircos: quos præeentes oues insequun-
tur. visitabóque hircos: id est, de sceleribus eorum pœnas
sumam. Quoniam visitauit. Subiit illi in animum miſe-
rorum homuncionum afflictorūmque conditio: & eorum
etiam meminit, qui vim iisdem inferunt: vindicem se illis
& assertorem deinceps præstirum ait. gregem suum.
Non amplius eum pastoribus regendi liberam potestatem
faciet. posuit eos ut equum gloriæ. viribus nimirūm
vel cum equo quoquis præstantissimo conferendos: cuius in-
ter prælium robur ac fortitudo quanta sit eluet: ut Iob. 39.
de eodem dicitur: Gaudet fortitudine ut obuiam vadat
aduersus arma. Ex ipso est angulus. Anguli nomine,
principes metaphoricōs intelliguntur: quemadmodum &
Iudicum 20. Et statuerunt se anguli totius populi: nempe
præfecti & magistratus. Significat autem his verbis ne-
quaquam è Græcorum genere oriundo principi imperium
in eos futurum. Ex ipso clavis: id est, præfectus & ma-
gistratus: quo nomine & apud Esaiam appellatur 22. ubi
ait: Et figam eum clavum in loco fideli. Ex ipso arcus bel-
licus, ut minimè opus sit aliude accito populo subsidij ferē-
di causa, sed suæ sibi copiæ manuſq; abudè suffecture sint.
Exhibit omnis exactor. Quos enim aduersarios prius ha-
bebant, eosdem vectigales deinceps habituri sunt. Erunt
vt

vt robusti milites. Similes, inquit, futuri sunt Israëlitæ præclaris illis & strenuis heroibus, qui iam olim à prima hominum memoria in Græcia floruerunt, hostesque suos in medio luto ac publica via conterent, ubi manus conserendi tempus aduenerit: vt pudeant qui equos inscendūt: nempe aduersarij: qui quum equis instructi bello obuiam prodierint, summo id sibi dedecori fore existimabunt, ut ab Israëlitis peditibus ipsi armati superarentur. Corrobora-bo ego domum Iuda. vires illis animosq; suggestam aduersus hostes. Et reuersos habitare faciam. Composita dictio est, quā hoc loco Hebraïcā habes hos chevothim, partim à radice Iaschav, partim à Schov. Sed utriusque significatio præsenti instituto accommodè quadrabit: vide-lacet ut & eosdem terræ suæ quasi postlimnio restituat, & author quoque futurus sit, ut tutò ibi metuq; omni deposito habitare possint. Eruntque mihi ac si nunquam eos repulisse. In magna scilicet gloria victuri sunt, & alta pace fruituri: perinde ac si nullo unquam tempore ab orbe condito pulsi suis sedibus fuissent: obliterata iam penitus & elapsa memorie præteriorum malorum recordatione, præ affluente bonarum rerū magna copia. vt heros erit Ephraïm. Quisquis ex ea familia originem trahit, fortiter se ac strenue in bello geret, heroicam virtutem factis expressurus: eodem plane sensu, quo superiorius illud dicebatur: Eruntque ut heroes. Lætabitur cor eorum. Lætitiae vero causa futura est victoria illa, quam de denictis hostibus reportabunt. In eo quod sequitur, vt eius qui vino exhilaratur, eclipsis quædam est Hebraïca, qua bibendi verbum subauditur, à Chaldæo paraphraste additum: is enim vertit: quemadmodum qui vinum bibit. Similes duas cli-

COMMENTARII KIM HI

pticas orationes habes, alteram Danielis 9. Quoniam desideriorum tu es. ubi vir subintelligitur, ut hic sit sensus: Vir admodum desideratus ac gratus Deo. alteram Prover. 29. Subsannator est vinum, id est, qui vinum potat: multisque aliis id genus locis. Quod videbūt filij eorum simili- que gaudebunt. paruuli nempe adhuc, & per etatem nondum ferendis armis, bellique committendo idonei, ubi paternā victoriam superatis hostibus rescuerint, voluptate magna & gaudio afficiuntur.

Sibilabo eis, & congregabo eos, quādoquidem redemi eos, & in immensum augescent. Seminabo quoque eos in populis, & in longinquis mei recor- dabuntur, viuentque cum filiis & reuertētur. Et re- ducā eos de terra Aegypti, atque de Assur eos con- congregabo ad terram Gilead, & ad Libanum eos ad- ducam, nec satis spatij inuenietur eis. Et trāsibit per mare augustum, in freto fluctus percutiet, & exare- scerent omnes profunditates fluminis, & deiicietur fastus Assyrii, sceptrūmq; Aegypti recedet. In do- mino corroborabo, & in nomine eius ambulabūt, dicit dominus.

Sibilus significat congregationē fidelium in ecclesiam catholicam, quam maximam futuram, & in immensum auctam iri prædictit.

Fideles in initio enascentis ecclesiæ ad aliquod tempus magnis af- ficiuntur persecutionibus, sed dominus tandem sedabit illos fluctus, & pax solida ecclesiæ restituetur: quin & Assyria & Aegyptus. i. ethnici homines, & à Deo priùs alieni, ecclesiæ se adiungent.

Sibilus ille formam quandam mouendi labia cum voce coniunctam exprimit, qualis signi loco adhiberi vulgo solet inter accersendum quempiam. Similem habes Esaiæ 5. ubi ait: Sibilabōque eis ab extremis terræ partibus. Quod de- inde

inde congregaturū se eos dicat, interpres nonnulli in hunc
sensum accipiunt, ut quum angustia & ærumna à Græco-
rum regibus illatæ in causa fuerint, quòd in variis regioni-
bus sparsim hic atque illic habitarint, reduces se in patriam
Israëliticam, florente familia Machabæorum restituendos
intelligant. Alij verò sententiæ vim non ad id quod iam
elapsum, sed quod olim futurū est, omnino referunt. In im-
mensum augescent. Auctiores multò cumulatiōrēsque
tum temporis erunt illorū res, & quē ac quōdam in Ægypto
fuere. Seminabo quoque eos in gentibus. Sunt qui
ideò hæc ab eo dicta interpretentur, quia Græcorum regum
iniuriis ad varia gentium loca electi, Dei quidem memo-
riam eiusdémque mādatorum reminiscientiam in illis etiam
locis mordicus retinuerint, viuentque cum filiis & re-
uertentur. in eo quem iam dixi, loco superstites vñā cum
filiis erunt, & sub tempora Machabæorum tandem ali-
quando ad suas ædes reuertentur. Alij disseminationm il-
lam inter gentes ita intelligunt, ac si post acceptam eo tem-
pore salutem, quo Machabæi florebūt, negotiandi peregrin-
nandi cause ad gentes se ultro recepturi sint, ubi magno
etiam in honore habebuntur haud alio nomine, quam quòd
Deo Op. Max. assertore ac vindice seruati fuerint. Quod
verò postea victuros vñā cum filiis ac reuersuros dicat, in
hunc sensum accipiunt, quasi magna rerū supellecīle onu-
sti reddituri sint, ubi redeundi tēpus aduenerit, & eadē vñā
cum liberis perfruituri. Et reducā eos de terra Aegy-
pti atque de Assur. Ad quæ loca vitādæ afflictionis cau-
sa se receperant. Ad terram Gilead, & ad Libanum.
Galaaditicæ regionis situs est ultra Iordanem, orientem ver-
sus: Libano autē quicquid est terræ Israëliticæ, ex illa parte

o ij descri-

COMMENTARII KIMHI

describitur, ut habetur Deute. 3. Ut videam terram istam bonam quæ est ultra Iordanem, montemque illum bonum & Libanum. Nec satis spatij inuenietur eis: Numerus, inquit, hominum eò usque augebitur, ut turbæ capienda locus haudquaquam sufficiens sit. Pro Libano ædem diuinæ maiestati consecratam vertit Ionathan: eodemque modo interpretatur & Onkelus. Et transibit per mare augustum. Gentes nimirūm (quarum numerus & multitudine vel cum mari conserri possit) ærumnis ac molestiis inuolentur: quæ per medium quoque earum ferentur. In frēto fluctus percutiet, plagā immittet Deus Opt. Max. cùm ipsi freto, tum undis eiusdem, quibus ariditatem inducit. Atque his verbis maximam ethnicorum hominum frequentiam significat. Eodem & illud spectat quod ait: Et exarescent omnes profunditates fluminis: quemadmodum interpretati sumus. & deiicitur fastus Assyrii. Meminit porrò disertè Assyriæ & Ægypti, quod hīpopuli præ ceteris Israëlitæ male acceperint. In domino eos corroborabo: id est, in memet ipso: qualis & ille mos est loquendi, qui Exodi 24. occurrit: ubi dominus Mosen allocutus: Ascende, inquit, ad dominum, nempe ad me. Ecce am tibi hactenus interpretationē huiuscē capituli, ex eorum sententia à nobis explicatam, qui ad ædis instauratae tempora eandem referunt. Cæterum quod ad me attinet, equidem in ea opinione sum, ut existimem nō absurdè posse eandem de futuro intelligi, & quæ ac superiora. Quo quidem sensu ad amissim quadrare videbitur quod de Iuda & Ephraïm commemoratur. Totus enim Israël, tam Iuda quam Ephraïm, sub Meſiacē tempora, ad sua redibit, id quod florente æde secunda illis tantum accidit, qui Babylonem

lonem migrarunt: Iudee nempe & Beniamin. Quocunque
verò loco Iudea facta mentio occurrit, perinde est, ac si Ben-
iamin una commemoraret: communis enim alteri cum al-
tera fons fuit. Græciae porrò nomine, Gog & Magog intel-
ligit, fratres scilicet, & Iapheti posteris prognatos: qui iun-
ctis viribus etate Messiae in expeditionem aduenturi sunt.
Somnium Iudaicum.
Quam eandem interpretationem sequitur & Ionathan. Is
enim pro Græcis, ita ut nos iam scripsimus, gentiles & eth-
nicorum filios vertit. Quicquid prætere à reliquo est hu-
iusce capitris facilem hoc pacto interpretationem admittit.
Vbi itidem inter gentes illos disseminatos iri, & transitu-
ram per mare angustiam prædicti, ita sunt ea accipienda,
ut à Chaldaeo paraphraste redduntur, & à nobis superius
explicata fuerunt. Aut simplici nudo & aperto sensu ca-
dem interpretari licebit, vt Esaiæ vaticinio respondeant,
cap. II. Exiccat dominus linguam maris Ægypti, &c.

Caput II.

Aperi Libane, portas tuas, & ignis cedros tuas
deuorct. Vlula abies, quoniam cecidit cedrus, hoc
est, magnifici vastati sunt. Vlulate quercus in Basa-
nitide, quoniam sylua cedua prostrata est, vox vlu-
latus ipsorum pastorum, quoniam deuastata ma-
gnificētia ipsorum, vox rugitus leonum, quoniam
vastatus est fastus Iordanis.

Prædictur destructio templi secundi, vt quæ haec tenus de templo
dicta sunt, non de templo materiali intelligantur, quod paulò post à
Romanis euertendum foret, sed ad spirituale templum potius refe-
rentur. Libani enim nomine templum significatur: ac deinde pergit in
incepta metaphora: cedros, abies & quercus: principes, sacerdotes &
populum vocat: quos omnes ad iunctum incitat, quasi vastato iam tem-
plo, & sublata eorum gloria delendum.

COMMENTARII KIM HI

Sensus horum verborum ab interpretibus ad ea tempora refertur, quibus Machabæorum familia florere desit, aut quibus ædes instaurata iterato subuersa est. Meo tamen iudicio à ratione nequaquam alienum erit, ita hæc interpretari, ut superioribus cohærent, nempe de regibus exterarum gentium ad internecionem usque delendis. Quem eundem sensum Ionathan sua quoque paraphrasi expressit: Aperite, inquiens, ô gentes, &c. Vlula abies. Chaldaicè, fletum ædite, ô principes. Loco syluæ cedus, sylua mutationis Hebraicè legitur: in eadem significatione, qua vocabulum idem Deut. 3. occurrit, ubi urbium munitarum meminit. Quin & eo etiam modo vocabulum illud interpretari licebit, quo Leuit. 26. pro vindemia sumitur, quem ait: Apprehendet apud vos tritura vindemiam. Etenim prius eos lignis sylvestribus comparauerat: ac deinde vindemia nomen addit, ut illiusmodi ligna esse intelligantur, è quibus fructus aliquis percipiatur, quasi prædiuit eos, magnates, rei familiaris ac pecuaria magna copia instrutos diceret. Magnificentia ipsorum: id est, præcipuum eorum robur, & gloriae materia. Sententia Chaldaica paraphrasi per omnia respondet. Ceterum que hoc loco dicuntur, maiores nostri (piæ illi quidem ac fælicis recordationis) ad euersionem ædis secundæ propriè pertinere existimant: & Libani nomine ædem ipsam Deo Opt. Max. sacram intelligunt: aiuntque portas eiusdem quadragesimo antequam euersa fuerit anno, suapte sponte patefactas fuisse. Vnde & Ioannes quidam Zachaïtes, piæ vir ille quidem ac reverendæ memorie, insignis magister, ira percitus: O domus, inquit, ô sacra domus. ecquid hoc sibi vult, quod tu ibi timeas? Evidem scio interitum tibi ac vastitatem imminere,

IN ZACHARIAM.

minere, & iam olim vaticinium illud de te æditum fuisse.
Aperi ô Libane, portas tuas.

Sic dixit dominus Deus meus : Pasce oues ma-
ctationi destinatas. Qui eas possident occidūt eas,
nec se culpæ obnoxios putant, & qui vendit eas di-
cet: Laudandus dominus ditatus sum, nec parcunt
eis qui eas pascunt, vnde & ego non parcam vlt̄rā
habitatoribus terre, dicit dominus, quia en ego tra-
do homines quēque in manum proximi sui, & in
manum regis sui, terram conterent, nec eruam de
manu eorum.

Monet prophetam, ut prædicatione sua populum ad pœnitentiam
hortetur, alioqui internecione delendum.

Iudæi quantis foris ab hostibus Romanis bello ac fame, & domi-
nter na ciuium suorum peste grauentur, iustè tamen ea omnia patien-
tur in oppugnatione suæ vrbis, nec hostium ea culpa, sed Dei vindicta
erit. De internis seditionibus, quibus laborabant, vide Iosephum lib. 2.
de Bello Iudaico.

Audi ô Iudee, qui tibi vanissimas spes re promittis, & non audis do-
minum hic dicentem atque confirmantem, Non eruam de manu eo-
rum, &c. quod æterna sit apud Romanos futura tua captiuitas.

Sententiam hanc bona pars interpretum, iam olim elab-
psam interpretatur, perinde ac si prophetam iusserrit Israë-
litis suo vaticinio prædicere, qualia ipsis inter exilium euen-
tura forent. Alij verò ad ædem secundam referunt. Vocat
autem eos oues occisioni destinatas. utpote qui potesta-
ti semper aduersariorum interficiendi traditi fuerint, ubi
diuina semel mandata violarant. At enim pater idē ac do-
minus meus obseruandissimus, (cuius memoriam lubens
vñsypo) pascēdi verbum quod hic formæ imperatiuæ vide-
ture esse, pro infinituō interpretatur, qualis temporum me-
tathesis Ezechielis 21. occurrit: Gladius politus est, ut det

eum

COMMENTARII KIM HI

cum in manum intersectoris: perinde ac si Deus ipsem et se
eos pastorum dicat, non autem prophetae eos pascendi cu-
ram demandarit, quemadmodum infra hoc eodem capite
ipse ait: Pascamque oves occisionis. Qui eas possident,
occidunt eas, id est, emptorum venditorumque potestati
prorsus patent. vide enim uero quanta truculentia in illis
interficiendis usuri sint, adeo ut commiserationi aut pietati
nullus planè apud eos locus futurus sit. Nec se culpx
obnoxios putabunt. Nihil quicquam à se sceleris per-
petratum existimabunt, etiam si stragem illam adiderint.
Et qui vendit eas, dicit. Hebraica ita sonant, Traſacta
venditione, talis futura est uniuscuiusque vedorum ora-
tio. Laudandus dominus. Ditatus sum. talis, inquam,
futura est uniuscuiusque oratio. Evidem (quæ Deo est ha-
benda gratia) diuitias mihi affatim opesque ex hac misella
captiuorum hominum turba corrasi. Interim vero dum ver-
ba illa cum impietate coniuncta profert mango: nempe lau-
dandus dominus: ipse sibi persuadet gratum hoc opus
Deo Opt. Max. fuisse, qualis et illa oratio est, qua Sennac-
herib Esaie 36. usus est: Num vero citra consilium et
iussum domini in hunc locum, ut cum vastem, ascendi? Aut
ideo fortasse clausula illa interiecta est, quia vulgo homi-
nes aucta re familiari quo quis tandem modo, siue per phas-
siue per nephias, Deo laudes eo nomine deferre soleant. Un-
de et illud proverbi loco à maioribus in eundem sensum
usitat fertur, fur in ore ligonis misericordem. i. in ipso tem-
poris articulo, quo domum perfodit, Deum sibi propitium
inuocat. Nec parcunt eis qui eas pascunt. Nulla qui-
de erga eas misericordia aut pietate mouebitur Deus Opt.
Max. qui alias pastor illarum appellatur, et idcirco in ho-
stium

stium manus incident, & vanales distrahentium commer-
tiis exponuntur. P ascentium pluraliter hic meminit, loco sin-
gularis numeri, aequè ac psalmo 149. præcipitur Israëli, ut
lætetur in factoribus suis, pro factore. Itidem Iobi 35. Vbi
est, inquit, Deus factores mei? Vnde & ego nō parcum
vltrā. nisi facta illi sua in melius commutarint, & bene se-
se gesserint. habitatoribus terræ. nimirūm Israëliticæ. In
manum proximi sui, & in manum regis sui. cum ipsi
mutua sē opera periment, tum rex stragem etiam inter eos
æditurus est, siue rex ille sit Israëlitarum, siue exterarum
gentium, cuius imperio parebunt. Tradendi vocabulum eo-
dem modo hic sumitur, quo Leuitici 9. Sed & holocaustum
ipsum tradiderunt ei cum incisionibus suis. terram conte-
rent. quā hinc, quā illinc, utrinque terram Israëliticam de-
populabuntur, vastamque ac perditam dabunt. nec e-
ruam de manu eorum. propter admissa in me ipsorum
scelera.

Ego paui oues mactationi destinatas, adeoque
pauperes ipsius gregis, & assumpsi mihi duas vir-
gas, alteram vocavi Noam, alteram verò vocavi
Hoblim, & paui oues. Præterea vno mense tres pa-
stores sustuli, animusque meus eos detestatus est,
quandoquidem eorum animus me detestatus est.
Tum dixi: Non pascā vos vltrā, quod moritur, mo-
riatur, & quod succiditur, succidatur: quæ reliquæ
manent, deuoret quæque carnem alterius. Tuli de-
inde baculum meum Noam, & cōfregi eum, vt ir-
ritum fieret fœdus meum quod pepigeram cum o-
mnibus populis. Irritumq; factum est eodem die,
hacque ratione humiles gregis qui me obseruant,

p agno-

COMMENTARII KIM HI

agnouerunt quod verbum domini fuerit hoc. Et dixi ad eos: Si vobis bonum videtur, cedite mercedem meam, si minus, omitte. Appederunt igitur mercedem meam, triginta nempe argenteos. Aitque dominus ad me: Abnue hoc ad sigulū magnificū, illud videlicet pretium quo licui ab eis. Tuli itaque triginta argenteos, & abieci ad sigulum in domo domini. Deinde confregi & alterum meum baculum, nempe Hoblim, ut irrita fieret fraterna unitas inter Iehudam & Israëlem.

Ostendit se duobus modis egisse cum Israële, ut ad poenitentiam eum alliceret: clementia ac scueritate. Prior virga tempus illuderat, quod præcessit passionē Christi: posterior, quod in excidio urbis Hierosolymitanæ perpetri sunt perfidi Iudæi.

Tripliçem ordinem magistratum significat: sacerdotes, iudices ac prophetas: Gratiam, inquit, omnem meam atque opem subraham. Ille me priores deseruérunt: idcirco & ego illos deseram.

Tria flagella minatur pestem, famem, bellum. & est sensus: Non amplius benignè agam, propter ingratitudinem eorum, atque ita irritum faciam foedus meum, quod pepigeram, &c.

Data est potestas gentibus, inuadendi Israëlitas, quæ priùs à Deo minimè concessa fuerat.

Si vobis placet: homines enim estis, & semel libero arbitrio vos creaui: reddite mihi mercedem meam: id est, mea præcepta obseruate. Si minus, vestro id damno fiet, non meo.

Ironicè legendum: Tautillo, inquit, pretio populus meus, tam liberaliter à me habitus, emendum atque vendendum me indicauit, ut triginta denarii aestimarit.

Iubetur propheta in visione prophetica idem facere, quod Iudas Hæriotes postea facturus erat. Cæterum mutatione unius literæ, utrumque exprimere voluit propheta, & præfectos templi, ad quos ea summa referenda erat, & usum, in quem eadem impenderetur: nempe ut ager figuli emeretur in sepulturam peregrinorū. Eadem enim dictio, mutata una litera, & cū qui est à thesauris, & sigulum significat. Other Hebraicè dicta.

Pani quidem oues, adeoque pauperes ipsius gregis.
verè
-onge

verè, inquam, ac re ipsa pauperulas inueni, quo tempore easdem mihi pascendas desumpsi. Quod ad interpretationem presentis paragraphi attinet, primò quidem in eo explicando sententiam eorum interpretum sequar, qui ad præteritum hæc dicta referunt, quanquam apud neminem (quod sciam) absoluta undique ac omnibus suis numeris perfecta explicatio huiusc capituli occurrat. Deinde quod mihi in mente venerit, & quid ipse animi habeam, Dei Opt. Max. opera fretus in medium de promā. Assumpsi mihi duas virgas. Qui mos est pastoribus usitatus, nempe ut sumpto in manus pedo pastorali, oues sibi commissas regant. Intelligit porro his verbis binas se virgulas assumpsisse ad Israëlem pascendum: atque ita innuit non unā eandemque fuisse rationem, quam illi populo pascendo adhibuerat. Sed pro eo ac facta eiusdem postulare videbantur, ita se eundem gubernasse. Quo circa binarum virgularū meminit, & alteram vocauit, inquit, Noam, alterā verò Hoblim. Quod alteri à clemētia seu mansuetudine nomen indiderit, eo indicat, blādē se atque molliter eos habuisse, quemadmodum & David psalm. 33. cecinit: Dominus pastor meus est, non egebo: in pascuis herbidis accubare me facit, & ad aquas tranquillas me minat. Hoc enim uero illis temporibus accedit, quibus ab Israëlitis religiosē obseruabantur præceptio-nes & mādata diuina, quum reges & prefecti iuris dicundi apud eos, probi homines fuere, à recto virtutis tramite nequaquam aberrantes. Tum enim Deus Opt. Max. summa cum mansuetudine & clementia res eorundem adminis- trauit: bonis omnibus affatim & ad satietatem usque fruebantur, nemine prorsus aduersarium se illis opponente, nec ullo unquam in fortunio usi. Sed alteram illam virgam

p ij Hoblim,

COMMENTARII KIMHI

Hoblim, nempe à dissipando dissipatoriam, (si ita loqui licet) appellauit, quæ vox Hebraïca vastandi dissipandi que vim habet: æquè ac Cantic. 2. Capite nobis vulpes, vulpes, inquam, paruas, quæ vastant vineas. Significat porro eos mores ac studia sua peruerisse, ac proinde se quoque non aliter eos habuisse, atque eadem illa ratio postulare videbatur, nulla quidem ab hostibus sartos teclos tuendi cura sibi imposta. Sed ita tamen rebus eorum administratis, ut non nisi ingruente exilio, numinis sui præsentia eos destituerit, tuendue curam prorsus abiecerit. Reges enim alijs alios, bonos mali vicissim excipiebant. Sub malis male cum illis agebatur. Fuitq; tum temporis apud eos virga illa quidem dissipatoria. Quum honestè se gerebant, lata omnia & prospera successere viguitq; altera illa mænietudinis & clementiae virga. Pauis itaque oves illas meas, partim bonis, partim verò malis. Præterea uno mense tres pastores sustuli. Pastores hi Iosiae filij fuerūt, Ioachaz, Ioacim, Sedeclias: quorum singuli sub hostium potestate vita functi sunt. Ioachin vero, eius quem Ioacim diximus, filius, qui uis in exilium abductus, in exilio tamen nequaquam extinxit, utpote ex quo regiæ stirpis successione Dauidici regni propagatio ducebatur: exhaustis interim tribus illis aliis, ne hærede quidem, quoad Ioachæ & Sedechiaæ stirpem attinet, regno superstite relicto. Ioacim autem indignis quidem modis, hac atque illac circumagitatus & neglectui habitus, per summam contumeliam vitam finiit. Atque hi quidem tres in ea postrema tempora inciderunt, quibus Israëlitica terra tandem vastata, è suis sedibus migrandi populo necessitas imponebatur: fuerunt enim anni duntaxat viginti duo, mensésque quatuor, prædictis illis tribus communes

unes, iidemque etiam ærumnis ac calamitatibus singuli
memorabiles, quibus regno potiebantur. Quum vero men-
sis unius meminit, exigui temporis spatium voluit expri-
mere, quemadmodum Hoseæ 5. dicitur: Comedet eos men-
sis cū partibus suis. Animus meus detestatus est. Me-
taphoram sapit oratio; æquè ac Iudicum 10. Afflicta est a-
nima mea propter laborem Israël. diciturque eodem modo
quo & illud Ezechielis 23. Et recessit anima mea ab ea,
quæ admodum & anima mea à sorore eius recesserat. Vtra-
que autem sententia vastitas illa innuitur, quæ temporibus
Sedechiæ terræ inducta fuit. Quod postea ait: Quando-
quidem eorum animus me detestatus est. tantudem
valet ac si dixisset: Non ego prior eos detestatus sum, imò
vero initium ab illis sumptum est. animus eorum me prior
detestatus est, atque ex eo factum, ut me illorum quoque
pertæsum fuerit. Superior ille locus, qui Iudicum 10. occur-
rit, non est ille quidem à Jonathan periphrasticōs explica-
tus. pro his autem quæ hoc loco dicuntur, animus meus
eos detestatus est, Chaldaica huiusmodi substituit: nem-
pe propulit eos verbum meum. Idem quod mox sequitur:
Quādoquidem animus eorum me detestatus est,
ita verit: Quia cultum ac religionem meam abominatus
est animus eorum. Quod ad pastores illos tres attinet, nihil
ille quidem quām verbum verbo reddidit, simplicem plane
ac literalem sensum sequutus: Vno, inquit, mense pastores
tres è medio sustuli. Tum dixi: Nō pascam vos vltra.
Nondum vastata sacra æde, vigente adhuc trium illorum
pastorum ætate, quum perditos eorum mores atque flagitia
animaduertissem: futurūmque ut illis etiam sublati nemo
quisquam rex probitati studeret, equidem apud me decreui

COMMENTARII KIMHI

non amplius eos pascendi prouincia subire: quemadmodum
 & illud Deut. 31. dicitur: Abscondam faciem meam ab eis,
 eruntque in deuorationem. Quod moritur, moriatur,
 peste videlicet. Quod succiditur, succidatur, ense &
 stricto gladio. Quæ reliquæ manent, deuoret quæq;
 carnem alterius, præ fame scilicet. Tuli deinde, nempe
 iam acceperam baculum meum Noam, videlicet Iosiam.
 Nam eo defuncto, nemo postea virtutis studiosus re-
 gno superfuit. Et confregi eum: id est, Pharaonis illius
 opera, cui Necao cognomen fuit, è medio eum sustuli. Ut
 irritum fieret. Vbi enim eius loco regem nullum successu-
 rum videram, qui probitatè excoleret, è medio eum sustuli:
 quò gentium exterarum imperio Israëlitæ subiicerentur,
 quandoquidem non nisi vi alicunde illata, ac regis sui im-
 pulsū (quemadmodum sacrae literæ testantur) in officio cul-
 túque Dei Opt. Max. contineri potuerint. Ac proinde ir-
 ritum se fædus illud facturum ait, quod cum omnibus po-
 pulis inierat, perinde ac si fædere quopia cum uniuerso ho-
 minum genere percusso, cauisset Deus, ne damnum aliquod
 malumve Israëli inferrent. Etenim quoad Iosiam supersti-
 tem habebant, nihil quicquā aduersi perpetiebātur: adeoq;
 Pharao ipse, Necao dictus, legatione missa bellum cum eo
 deprecabatur. Irritumque factum est eodem die: vio-
 latum est fædus illud eo ipso die, quo Iosias è viuis excessit.
 Exteri enim & peregrini homines in tres illos pastores,
 quos iam diximus, imperium ac summam potestatē exer-
 cebant, eosdémque fortunis omnibus exutos: patria extor-
 res factos, contumeliosissimisque modis exceptos, morte tan-
 dem multabant. Hacq; ratione humiles gregis qui
 me obseruant, agnouerunt quòd verbum domini
 fuerit

fuerit hoc: id est, quotquot probi inter eos, meique studiosi
 cultores fuerunt: perinde ac si dicat: Quo tempore per pro-
 phetas eos alloquebar, fidem illi quidem illiusmodi verbis
 nequaquam adhibuerunt, quippe quæ à vero aliena puta-
 bant. Cæterum qui probi apud eos reperiebantur, diligen-
 ter me (nempe verba à me prolatæ) obseruabant. quale quid
 Genes. 37. legitur: Iacob verò pater eius obseruabat nego-
 tium istud. Adueniente porro supplicio, scient & ipsi ver-
 bū hoc domini fuisse. Et dixi ad eos. Verba hæc illa sunt,
 quibus eos Deus Opt. Max. per prophetas alloquebatur.
 Cedite mercedem meam. quum pastor ego vester sim,
 cedite ergo mercedem meam. Merces autem illa, pœnitentia
 est, & probæ vitæ actiones. Si minus, omittite. Cu-
 iusmodi & illa loquendi formula est, quæ Ezechielis 2. oc-
 currit: Siue audiant ipsi, siue minus. Appèderunt igitur
 mercedem meam, triginta nempe argenteos. Fue-
 runt enim eadem illa ætate trium, quos diximus, pastorum, mysteriis fi-
 ad triginta fortasse probi & integri viri: inter quos & Da-
 nielem habitu legimus: unà cum Anania, Misæle, Aza-
 ria, Hieremia, Ezechiele & Sophonia: & quanuis aliorum
 mentio disertis verbis non fiat, omnino tamen fieri non po-
 test, quin & alij in eodem numero fuerint. Nam & Psal-
 mo 79. tale quid proditur: Dederunt cadavera seruorum
 tuorum cibum volucribus cælorum, & carnem benefico-
 rum tuorum bestiis terra. Ionathan verò locum hunc ita
 verit: Dixitq; illis, Si vobis rectum videtur, voluntatem
 meam facite: si minus, desistite. Et fecerunt voluntatem
 meam viri aliquot. Perinde ac si dicat, paucos dūtaxat nu-
 mero fuisse qui pœnitentiam egerint. Aitque dominus
 ad me, Abiice hoc ad figulum. Refert hic propheta
 dixisse

In huiusmodi
 mysteriis fi-
 dei Christia-
 né, Iudeorum
 & oculi & ani-
 mi caligat, ut
 noctu ad So-
 lem.

COMMENTARII KIMHI

dixisse sibi Deum Opt. Max. ut ad sigulum hoc quicquid
 erat argenti abiiceret. Cæterum quæ dictio Hebraica ge-
 nuina sua significatione sigulum propriè significat, ex inter-
 pretum sententia pro quæstori aut ærarij præfecto hoc loco
 sumitur, propter æquivalentiā illam viciſſitudinariam,
 qua vocales aliae aliarum loco plerūq; poni solent, Aleph,
 He, Vau, Iod. Quem eundem sensum & Ionathan se-
 quutus est: qui siguli loco, hominem à thesauris vertit. Sen-
 tentia quā indicare voluit adhibita parabola, hunc in mo-
 dum se habet: nimirūm ut quām arctissimè fieri potest in-
 ter se coalescerent in æde dominica, & à reliquo populari
 cœtu separarentur: utpote qui scelera Deo palam intuente
 perpetret. figuli nomen impropriè & metaphoricōs hoc lo-
 co usurpauit: æquè ac Psalmo 33. Ipse omnium corda pari-
 ter finxit, intelligit omnia opera eorum. Nouit enim uero
 qui boni, qui mali sint: explorat corda, & perscrutatur re-
 nes: quanuis sint interim, qui quum à probitate alicni sint,
 probitatem tamen præ se ferant. Tuli itaque. Ita saltem
 quoad prophetiæ rationem, visumq; quod illi representa-
 batur, sublatum in manus argentum ad quæstorem in æde
 sacra abiecisse sibi videbatur. Cæterum quod ea re porten-
 debatur, multis iam ante annis elapsum fuerat: ea nempe
 etate, qua tres illi pastores vixerunt. Sensusque ille idem
 est, metaphoricōs expressus, quem iam diximus, nimirūm
 ut à vulgo boni discriminarentur: adeoque ne per compita
 quidem unā cum illis visendi conspicerentur. Atque hoc
 illud etiam est, quod Hieremiæ 5. dicitur: Circuite per vi-
 cos Hierusalem, & videte quæso, & cognoscite: & que-
 rite per plateas eius, an quenquam inueniatis qui faciat iu-
 dicium, aut quærat veritatem, & propitius ero ei. quem-
 admodum

admodū in libello Hieremiac verba iam dicta interpretati
 sumus. Magnifico illo pretio, cuius hic meminit, ædem sa-
 cram intelligit: sensusque idem planè est cum eo quod ait:
 Et abieci ad figulum in domo domini: nēpe ad egre-
 gium illud & præcateris insigne pretiū. Dupliciq; officio
 fungetur una eadēmq; Heb. præpositio æl: utpote quæ tam
 ad figulum quam ad ædem sacram, pretium, inquam, illud
 magnificum, utrinque referatur. Quo licui ab eis. Quod
 ad honorem quidem attinet, equidem meo ipsius nomine sa-
 tis illustris reddor: nolo mihi quicquam cum illis amplius es-
 se: longum eis vale dixi, scelerum & flagitosæ vitaæ causa.
 quem eundem sensum Chaldaica quoque paraphrasis ex-
 pressit. Deinde cōfregi & alterum meum baculum.
 Verba hæc ad eam cladem propriè spectant, quæ Sedechiæ
 exitialis fuit: & adi sacra ultimum exitium attulit: eo nē-
 pe tempore quo ad internacionem usque deleti sunt teme-
 rarij illi legis diuinæ dissipatores, ac populus Israëliticus
 exilio sedes commutauit. vt irrita fieret fraterna vñitas
 inter Iehudā & Israëlem. Sublata est tum tēporis simi-
 litudo illa, ac morū congruentia quam Iudei priùs cum Is-
 raëlitica familia in idololatria communem habuerāt. Ete-
 nim à migratione Iudei, nemo quisquā deinceps idololatram
 in Israële superfuit, quum priùs nullum prorsus idolis inser-
 uiēdi finem fecisset, usque dum in exilium migratum fuit,
 plurimis etiam in corundem capita malis simul incumben-
 tibus. Cæterū quum iam domo pulsi, veritati consona om-
 nia viderent, quæ à prophetis de æde vastanda prædicta
 fuerant, non iam amplius apud eos idololatriæ locus reli-
 quis erat. Quin & Iudei quoque familia ad exilijs usque
 tēpora, cultui idolorū itidem addicta, postq; migravit ido-
 lolatriæ

COMMENTARII KIM HI

lolatriæ studium omne depositum. Atque hæc illa fuit mūtuæ unitatis violatio, quam illi inter se communem habuerant, in idolis cultu deferendo: quemadmodū & Ionathan interpretatur. Hactenus de ea quidē paragraphi huiusc explicatione, quæ ad præteritū & anteactum tempus pertinet. Cæterū quod huic caput proximum est: n.e illud vaticinium continet, cui proculdubio sub æde secunda euenturo locus verè competit. ac proinde quod reliquum est, in eum sensum quod hic dicitur, interpretabimur, ut ædi secundū instauratæ conueniat. Sunt ergo verba illa Dei Opt. Max. ut author est honorandæ piæq; memoria pater, idem ac dominus meus: Cæpi, inquit, iam olim gregem hunc perficere atque enutrire: quod ut facerem, binas mihi virgas, easque egregias in manus assumpsi, Noam videlicet & Hoblim: quarum hæc regi, illa verò summo præsuli significando adhibetur: de quo Malachiæ 2. dicitur: Labia sacerdotis custodient scientiam: Scientia porro delectationem animo adfert: ut in Proverbiis cap. 2. ait: Si sapientia cor tuum inuaserit, & sciëtia animum tuum oblectauerit, &c. At enim rex funiculi nomine representatur, quum præcti nautici instar sit, eiusque loco qui funibus in nauis praesit. Cæterū oues illæ quas iam dixi, quanvis dupliqui dem ratione ac binis virgulis à me pastæ, quanvis ab aliorum pastorum iniuriis, nempe ab externarum gentium regibus, me propulsatore seruatæ: nequaquam tamē ad bonos mores redire voluerunt. Quin & prophetas etiam tres legatos emisi, qui vicariam mihi operam in iisdem pascendis nauarent, Haggæum videlicet, Zachariam & Mala chiam. Sed nulli illis usui fuere horum reprehensiones: idcirco è medio eosdem sustuli, quemadmodum ipse ait:

Vno

Vno mensetres pastores sustuli. unde & illud obiter
animaduertendum est, unius mensis spatio prædictos tres
extinctos fuisse: nec superstite illis in terra Israëlitica pro-
phetici munera functione mansisse. quam sententiam ma-
iores etiam nostri (quorum memoriam lubenter usurpare
debemus) suis suffragiis approbarunt: nepe una cum Hag-
gæo, Zacharia & Malachia prophetici munera vim &
energiam Israëli sublatam fuisse. Itidem & principium
prophetandi prædictis illis tribus idem fuisse deprehendi-
tur: anno videlicet secundo Darij. Sublatis ergo, inquit, tri-
bus hisce pastoribus, caput me tñdere eorum, quoniam
& illos iam anteà mei pertñsum fuerat. Quocirca ait:
Non pascam vos vltra, &c. Tuliq; virgam meam
Noam, & confregi ea. Id quod instantे iam emigratio-
nis tempore, sublata dignitate sacerdotali accidit. Cedit
mercedem meam: id est, pœnitentiam agite, & resipisci-
te. Pœnitentiam verò nonnullam illi quidem, sed minimè
perfectam egerunt, ad triginta fortasse dies, quibus pullati
defunctum summum sacerdotem lugebant. atq; hi quidem
triginta argenteorum numero exprimuntur. In dictio-
ne ea quæ sigulum significat, metathesi literarum facta,
quæstorem intelligi voluit, eodem nimirùm modo quo nos
interpretati sumus. Vbi postea ædis dominicæ meminit,
hunc sensum habet, perinde ac si dicat: Scribe prophetiam
hanc, & in templo repone. Sunt qui otsær hoc loco concio-
nem populi & ecclesiam interpretentur: aequè ac Amos 7.
eiusdem vocabuli eadem significatio occurrit: Et ecce exa-
men locistarum. Magnificum pretium, gloriæ ipsius
magnificentia dici poterit: quam illis, inquit, eripi. Neque
enim diuinæ præsentia sub æde secunda loci quicquam apud

q ij eos

COMMENTARII KIM HI

eos fuit. Quo licui ab eis: aut quo eos priuauit: qualis etiā
verbi eiusdem sensus Proverbiorum 25. legitur: Rarum fa-
cias pedem tuum in domo proximi tui: id est, raro accedas.
Et confregi baculum meum secundum, nempe
Hoblim: regem videlicet Agrippam. Eo enim regnante
Titus in exilium eos abduxit. Fuerit & alia adhuc pre-
sentis loci interpretatio, quam adfert ingeniosus quidam
Rabbi Abraham Toletanus, è Leuitica familia oriundus,
idem ille qui Cabalam congesit. Pascam oves occisi-
onis: id est, fonebo aedis huius secundæ instaurationem. eo-
démque spectat, quod postea ait: Assumpsi mihi duas
virgas: alteram vocavi Noam, alteram verò vocavi
Hoblim. Noæ nomine, eminentiam illam significat, in
qua futuri erat Zorobabel, Nehemias, Atharsatha, è Da-
uidica familia oriundi. quippe quibus in omnem futuram
ætatem perpetuo fædere Deus Opt. Max. regnum Israe-
liticum administrandum dederat. Hoblim (quæ virga est
dissipatoria) regni sacerdotalis loco ponitur. Hinc enim pri-
mò cœpit eius templi origo, quod in monte Garisim extrue-
batur. Atque iidem illi homines cum Samaritanis affini-
tatem contraxerunt. & ex his natæ sunt huiusmodi factio-
nes, quæ orbem postea infestarunt. Ac deinde temporis
progressu Hircanus quidam pontifex maximus, archiera-
tico munere ad quadraginta annos functus est, idémq; tan-
dem Saducæorum partibus adiunctus in reliquos sacerdo-
tes nece grassatus, eosdem interfecit, tum ipse, tum Ale-
xander ipsius filius. quæ causa fuit ut Aristobulo eiusdem
ex filio nepoti gratia favórq; imminueretur. Quod postea
vno mense tres pastores sustulisse se dicat, tripli illa
dignitate, regnum Davidicū, Machabæorum, & seruile
imperium

imperium innuit. Temporis vero spatiū illud uniuersum, Herodianorū quo aedes secunda floruit, unius mensis nomine expressit: familiam intelligit. utpote quod unus quasi mensis illi quidem videatur. Allegatio deinde & emissio Zorobabelis una cum Nehemia verbis illis significatur, quibus ait: Tuli baculū meum Noam, & confregi cum: ut irritum fieret fœdus meum, &c. Nam actū iam tum erat de amicitia, actū de fœdere, quod cum regibus Persicis illis prius intercesserat, quod illud referendum est, quod addit: Si vobis bonum videtur. Ita enim eos alloquitur postquam secundam illam virgam dissipatoriam ipsis pascendis adhibuerat: Lubetne vobis vestigiis diuinis insequi? Appenderunt igitur mercedem meam triginta argenteos. Tricenarium illud annorum spatiū innuit, quo regnarunt integerimi illi ac pietatis studiosi principes. Vnum dico Matthiae, cognomento Hasmonai. Sex Iudea eiusdem filij. Totidem Ionathae, huius filij, Simeonis demum octodecim, qui illum patrem habuit. Eccos tibi triginta unum annos: qui facile ad triginta reducuntur: si qui mili menses in eosdem inciderint: quanto nimirū tempore imperium penes reges illos optimè meritos fuit. Sensus autem eorum quæ his verbis dicuntur: Dixitque dominus ad me, Abiece ad figulum magnificum pretium, quo licui ab eis. Huiusmodi erit, ac si dicat, par enim uero fuerit, & rationi consonum, ut magnificum hoc pretium, & splendida merces sacris peragendas, & mancipiis redimundis inseruiat, si qua forte è populari cœtu in seruitute abducta fuerint. Cætum porro vulgi, vocabulo locustarum. Eodem etiam modo sumitur, quod ait: Abieci ad figulum in domo do-

q iij mini:

COMMENTARII KIMHI

in omnibus: H
 eti pessimum:
 sigillor

mini: nempe ad cætum populi, ut superius: Et confregi
 baculum meum secundum, dissipatorium. Signifi-
 catur his verbis extirpatio illa regni Machabæorum sub
 eam ætatem futura: in quam flagitosi quidam homines &
 pestes Republicæ inciderunt: Hircanum dico, Aristobu-
 lum, euīusque posteros. ut irrita fieret fraterna vnitas, in-
 ter Iehudam & Israëlem: quasi per eum stetisse dicat, q
 violata fuerit fraterna benevolentia. Subaudiendo relati-
 um ascher: nempe qui author fuit, &c. qualis est illius loci
 interpretatio, qui Ezechielis 7. legitur: Et pulchritudinem
 ornamenti sui, ad superbiam conuertit, quod scilicet orna-
 menti genus is ad superbiam conuertit. Factum enim uero
 est opera huiusmodi perditorum hominum, ut in duo re-
 gna diuisi sint Israëlitæ, non aliter ac olim sub Ieroboam fi-
 lio Nebat acciderat, quo tempore schisma in regno Dani
 dico contigit: violata iam mutua illa, quæ Iude cum Israë-
 le intercesserat, societate.

Et dixit dominus ad me: Adhuc sume tibi arma
 stolidi pastoris. Quoniā ecce ego excito pastorem
 in terra, qui gregem cōcīsum non inuiset, nec sto-
 lidam ouem requiret, sauciam non sanabit, statem
 & firmam non pascet, neque fulciet, carnem quo-
 que pinguioris edet, & vngulas eis diffindet: vñ pa-
 stori idolo qui gregem deferit: gladius imminebit
 brachio eius, & oculo eius dextero: brachium eius
 planè exarescet, & oculus eius dexter omnino he-
 bescet.

Me (inquit Christus) tam clementem ac piūm pastorem nihili fece-
 runt: alium stolidum atque immitem in maiori pretio habebunt, népe
 Antichristum, cuius h̄ic imago describitur. Sed dominus aliquando
 eum

eum spiritu oris sui interficiet, quemadmodum mox ait: Vx pastori
euando, &c.

Ad eos ista pertinent, qui vicarij reges & aliorum serui erant. vñ pastori idolo, &c. nempe Agrippa regi, qui author fuit, ut Vespasianus ac Titus expeditionem in Israëlitam terram susciperent, & militum copias inuexit, unde mala reliqua omnia fluxere. Sume tibi arma stolidi pastoris. Prophetam iubet Deus Opt. Max. (quod ad usum saltem propheticum attinet) stolidi pastoris in morem sese componere. Significat porro huiusmodi verbis, sub tempore aedis secundæ regem aliquem apud Israëlitas suppululaturū, cuius res gestæ nihil q̄ insania metisq; alienatione sapere videbūtur. Cæterum inter sarcinas stolidi pastoris, & eiusmodi qui sapiat, multum per omnem modum interest. Habet enim hic peram sacculo non absimilem: in quam reponi possint tum panis quem comedat, tum cyathus in usum bibendi, & si qua præterea opus futura erunt inter eremum oues pascenti. Illius verò pera angusta admodum est, & iusto contractior, ita ut esculēta saepe effluant: quibus ubi se destitutum viderit, in oues iram exerit, infligit verbera, nec ulla animi pietate erga eas mouetur. Rex porro cuius hic meminit, Herodes intelligitur: qui seruus olim familie Machabæorum, armis aduersus eosdem initis, imperium sibi usurpanit, uxorem ex eoru genere oriundam duxit, regnum insolenter ac stulte administravit, uxoris denique ac liberorum suorum neci, multa alia scelera in terra Israëlitica adiecit: Jonathan eodem modo vaticinare, inquit, de stulto & inertii principe. Stolidæ ouis nomine, agnum ætate tenellum intelligit. Istantem huiusmodi appellat, quæ loco suo fixa manet. Atque huic quidem quan-

uis

COMMENTARII KIM HI

uis incedendi pabulandique facultate destituta, pabulum ille tamen nutricationis causa nequaquam ad locum quem occupat, apponet. vngulas eis diffindet. Nec hoc satis est, quod nullo eas bono afficiat, nisi laedat quoque & damnum ipsis inferat, vngulis tam immani ictu illiso baculo, ut fractis prorsus atque diffissis omnem incedendi potestatem adimat. Ionathan hunc in modum reddidit: quæ à tergo fuerint relicte, eas occisione delebit. vñ pastori idolo. Idoli vocabulum pro re nullius pretij atq; inepta sumitur: æquæ ac Iobi 13. Vos estis mendacij concinnatores & inepti medici. Pastoris autem huiusmodi nomine, vel Herodem vel Agrippam intelligit. Gladius imminebit brachio eius. Quum postea futurum dicat, ut brachium eius planè exarescat, & oculus eius dexter omnino hebescat, non luit hoc loco sensilem gladium intelligi: sed exitialem portius & ultimam internecionem: quæ lethiferi & omnia vastantis gladij loco esse posit: Imminebit, inquit, brachio eius: id est, vires exhaustiet. Et oculo eius dextro: ita ut in rebus suis administrandis nihil loci consilio aut prouidentiae futurum sit. Oculo enim dextro, cordis oculum intelligit, ut author est perdoctus Rabbi Abraham Esrites (cuius memoriam & fælicem recordationem lubens amplector) quanuis ille tamen aliam quidem, atq; nos, in hoc capite explicando sententiam sequatur.

Caput 12.

Onus verbi domini super Israëlem: dicit dominus, qui extendit cœlos, & fundat terram, & spiritum hominis in medio eius singit. Ecce ego pono Hierusalem, ut sit calix commouens omnes populos

los circuū quaque: quin & in Iehuda erunt qui ob-
sideant Hierusalem: eritque illo die ut ponam Hie-
rusalem ceu lapidem grauē omnibus populis, qui-
cunque eum sustollere conabuntur: omnino lace-
rabuntur, congregabunturque contra eum omnes
gentes terræ.

Prædictio afflictio ecclesiæ ad aliquod tempus post mortem Christi aduenturæ: quæ tandem in summam pacem atque lætitiam exitura sit, deuictis hostibus.

Persecutores ecclesiæ tandem morientur, vt qui hausto poculo ve-
nenti de repente cadunt: exemplo fuerint Herodes, Pilatus, Maximinus,
Maxentius, &c.

Ecclesiæ comparat lapidi graui & immobili: Qui eam loco suo
mouere conantur, ipsi læduntur.

Facta iam semel atque iterum supplicij Israëlitis infe-
rendi, ac terræ eorundem vastitatis inducendæ mentione,
fausta deinceps ac lata iisdem futura prædicit: de gentibus
verò pœnas sumendas, in hanc quidē sententiam: Dicit do-
minus qui extēdit cœlos. quasi supera & infera ab eo
creata dicat, & omnia in illius potestate posita, vel euer-
tenda ac demolienda, vel erigenda ac stabienda. homi-
nis porrò hoc loco nō aliter meminit, ac Esaias 45. Ego feci
terram, & hominem super eam creavi. perinde ac si dice-
ret: Ego quidem in causa fui, quod Israëlitæ in exilium ab-
ducti fuerint. In me itidem situm est eosdem reuocare: &
de aduersariis illorum pœnas sumere. Sunt autem hæc duo
cognata sibi inuicem, & alterum alteri coniunctum. qui
spiritum hominis in medio eius fingit, & qui ex-
tendit cœlos, & terram fundat. ut author est ingenio-
sus Rabbi Abraham Esrites. quippe quum homo microco-
smus quidam sit, præ cælo & terra, quæ vastus orbis appel-
latur. Quod ad verbi illius vim attinet, quo spiritus in me-

COMMENTARII KIM HI

dio hominis fingendi meminit, equidem fingēdi vocabulum in alia re nulla exprimēda adhibitum comperio, quām quæ tactu prædicta sit, & sentiendi facultatem habeat: id quod spiritui nequaquam conuenit. Ac proinde dicendum erit, verba illa, qui spiritum finxit, ad huiusmodi corporis organa pertinere, quæ spiritales vires in se continent, putat cerebrum & cor. Ut sit calix commouens: id est, venenati poculi instar: quod haustum bibenti lethum adferret. Eodem nempe modo cum illis agetur, qui castra urbi Hierosolymitanæ admouebunt, absumentur funditus, & pessum ibunt. Quin & in Iehuda erunt qui obsideat Hierusalem. Iudei quoque nonnulli, inquit, ad expugnationem urbis unà cum hostibus venient. Calix ille, quem iam dixi, pestifer & lethalis etiam ad eos in initio pertinebit, qui præter animi sui voluntatem ad obsidemur urbem Hierosolymitanam confluent: ipsique adeò ab hac ingenti clade nequaquam immunes futuri sunt. Sesus autem loci ita se habet. Quo tempore Gog & Magog aduersus

Per hos Antichristū intel- urbem Hierosolymitanam, restitutam iam erectāmq; pe-
lige, & gra- riculis expeditionem suscepturi sunt, in terram eam, quæ
uissimas futu Iudea sorte obuenit, primos impetus facient. Etenim magno
ras afflictio- quidem animi desiderio flagrabunt, primo quoque tempore
nes. adeundi Hierosolymam: nec ita magnopere in ipso statim
initio ad reliquas omnes Israëliticæ terræ partes subiugan-
das properabunt. Hoc enim sibi persuasum habebunt, hu-
ijsmodi se verbis mutuò excipiēt. Deuicta semel urbe me-
tropoli Hierosolymana, quod reliquum est Israëliticæ ter-
ræ, perium nobis, eadēque plane opera expugnatum pa-
tebit. Vnde & iter illud capeſſent, quod recta per agros Iu-
dei Hierosolymam tendit: ut pote via ipsis expedita & ac-
commoda:

commoda: abductis in eandem obfitionem unà secum non-nullis etiam è familia Iudaica, volètibus nolentibus. quam interpretationem & Ionathan sequutus est. ponam Hierusalem ceu lapidé grauem. Quam prius lethalis atq; mortiferi poculi similitudine expressit, eandem iam denuò lapidi bene oneroso cōparat: quū illud interim significet, fore ut quotquot aduersus urbem Hierosolymitanam armalaturi sunt, haud aliter manus in eam iniiciant, ac si sāxum aliquod ingentis molis ac prāgrāde complectentur: utpote quod oneris plurimū atque molestiae ipsis exhibere soleat, qui sublatum in humeros ferūt. Interim vero dum humo sublatum humeris imponunt, offensas inde manus & cæsim lēsas reportant. quanuis autē multi simul eidem subleuando, iunctis operis incumbant, inter subleuandū tamen manus eorundem frustratim atterentur. Ita q̄ plurimi undaque aduersus urbem Hierosolymitanam è singulis orbis partibus confluent. ceterū internecione ad unum omnes in ea delendi. Ionathan in eundem sensum vertit: Ponam, inquit, Hierusalem lapidem offensionis omnibus populis: quisquis vim ei intulerit, diripietur, &c.

In die illa, dicit dominus, percutiam omnem equum stupore, & eum qui ei insidet, vesania. Super domum Iehuda autem oculos meos aperiam, omnēmque equum populorū feriam cæcitatem: tūduces Iehuda in corde suo dicent: Corrobora mihi habitatores Hierusalem in domino exercituum Deo suo.

Prædictur ereptio atque liberatio ecclesiæ à prædicta persecutio-ne, & victoria de hostibus reportanda, quam Christo, non suis viribus acceptam ferent viatores: ideoque opem eiusdem assiduis precibus implorabunt, dicentque: Corrobora mihi, &c.

r ij Apē-

COMMENTARII KIMHI

Aperiam nempe oculos meos, ut Iudam equosq; ipsius,
quauis medio inter gentes loco positos cladi me authore
inferendae eripiam. Omne tamen equum populorum fe-
riam cæcitate. Stupori addit & cæcitatem: utraque enim
calamitas in eos simul incumbet. Stupor porrò ad cor, cæci-
tas autē ad oculos refertur. Tum duces Iehuda in cor-
de suo dicent. Tacite nimirū & clam apud se. quando-
quidem inter medios hostes versabuntur: audaciam tamen
illis & animosos spiritus suggesterent ciues Hierosolymitani,
quippe qui diuino auxilio freti cominus cum hoste manus
conferturi prodibunt, atque ita horum opera liberabuntur.

Die illo ponam duces Iehuda ut carbonem in-
ter ligna ardentia, & ut facem ignis ardensem in a-
ceruo manipulorum, & deuorabunt à dextra & à
laeva omnes populos circunquaque, consistētque
Hierusalem adhuc in loco suo in Hierusalem. Et
seruabit dominus tentoria Iehudæ ut retrò tem-
poribus, ne glorietur decus domus Dauidis, & glo-
ria inhabitantis Hierusalem contra Iehudam.

Charitas verè Christiana describitur, & ardor fidelium erga Deum
ac proximos.

Efficiam, inquit, ut principes & magnates Iudeorum,
qui foris erunt, similes sint ignito carboni, inter arida ligna
posito. Etenim quo tempore stupor ille animique consterna-
tio me authore gentibus inducetur, haud obscure intelligēt,
rem eam mea opera factam fuisse: unde tam ipsi, quām re-
liqui etiam Iudei communi consensu, stragem utrinque, si-
nistrorum & dextrorum adēt. Carbonem prunam iam
ardentem vocat: æque ac Leuitici 11. Destrumentur, inquit,
clybanus & chytropodes (nempe olla prunis ardentibus ad
coquen-

coquendum impositæ.) Quemadmodum autem ligna & stipula natura quidem satis apta sunt ad ignem concipendum, ita & gentes præ stupore illo animi consiliique inopia, quam Deus Opt. Max. illis immittet, quasi obuiæ iam & expositæ neci futuræ sunt: adeoque ignis loco erunt Iudæorum principes ad eas funditus delendas. Consistetque Hierusalem adhuc in loco suo in Hierusalem. Gen-
tes enim uero illud sibi persuasum habuere, fore ut sua ope-
ra euenteretur, adeo ut ne urbis quidem nomen amplius re-
tineret. Illa tamen nihil secundum priorem locum obtinebit,
eandem prouersus sedem occupatura, quam hodie occupat Hie-
rosolyma. Seruabit dominus tectoria Iehudæ ut retro
temporibus. Tentorum idcirco meminit, quia huiusmo-
di plerunque uti soleant urbium oppugnatores: quanquam
alii dicant Rechabitarum causa ita prophetam loquitum,
quibus solennis fuit, & ab ultima hominum memoria re-
cepta in tentoriis degendi consuetudo: ac tum temporis me-
diæ inter Iudæos futuri sunt. Pro tentoriis, Ionathan urbes
Iudaicas vertit. Ceterum quod ad temporis rationem atti-
net, Iudæi quidem priores (neppe foris extra urbē, una cum
hostibus ad oppugnandā eadem præ metu profecti) q̄ ciues
Hierosolymitani seruabuntur. ne glorietur decus do-
mus Dauidis. Stirps enim Dauidica intus se continebit,
& a partibus ciuium Hierosolymitanorum stabit. Quod
si priores hi seruarentur, iactabundè fortasse Iudæis forin-
secis exprobrarent: quasi sua opera factum foret, ut incolu-
mes illi periculis eximerentur.

Die illo dominus defendet pro habitatore Hie-
rusalem: eritq; is qui impegit inter eos, eo die quasi
Dauid, & domus Dauidis ut dij, & tanquam an-

r iij gelus

Hæc ad su-
pernam Hie-
rusalem refe-
renda sunt.

COMMENTARII KIMHI

gelus domini ante eos. Id quoque illo die fiet. dabo operam ut omnes gentes quæ contra Hierusalem veniunt, pessum eant.

Homuncio quilibet apud eos vel infirmus ac debilis, Daudi similis futurus est: homini nempe viribus præstansissimo, & arte bellica insigni. Nominè verò domus Dauidicæ, Messiam regem intelligit: quemadmodum & Esaias 7. Audite quæso ô domus Dauidis: de rege Achaz loquitur. Idem porrò rex ille, quem iam diximus, priori loco obuiam gentibus occurrens, bellum laceisset, præbitque cœu Deus quispiam: id est, ut ipse mox interpretatur, tanquam angelus domini. Dabo operam ut omnes gētes, & cæt. Efficiam diligenter & accurate, ac si dicat, animo voluntatique meæ prorsus obsequar, ut eas funditus perdam atque euertam.

Et effundam super domū Dauidis, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ & beneficentiaæ, ut aspiciant ad me, eum videlicet quem transfixerunt: plangéntque super eo, ut solet super unice dilecto: acerbè & amarè habebunt super eum, ut sollet quis super primogenito.

Missio spiritus sancti in apostolos & alios fideles prædictitur, quæ multos ad fidem Christi allicit, eritque in causa ut nonnulli etiam Iudei verissimis affectibus ad Deum cōuersi, errorem suum agnoscant, eumque Christum verum Deum & hominem fuisse fateantur, quem olim cruci affixerunt. Id quod & factum legitur in euangelio.

Equidem gratos eos acceptosq; habebo, adeò ut incolumes eosdem ac sartos teçtos irruentiū gentiū insultibus erupturus sim. Idem verò propheta verbis paululū immutatis emphaticos exprimit. Ionathan spiritum munificentie pietatisque vertit. Ceterū pater, idem ac dominus meus collag lendissimus,

lendiſſimus, ſpirituſum huiuſmodi hoc loco interpretatur, qui
tum apud alios homines gratioſus erit, tum apud Deum in
cauſa futuruſ, ut ratæ habeantur ipſorum preces. Signi-
canteſ porro ait praefatio ſe illis & protectoris loco adfutu-
ru, ſuperiores quidē ac caelicas virtutes intelligens propitiā
atque amicas ipſis futuras. Quod ſi deinde forte fortuna
acciderit, ut fuorū aliquem vel abieciſſimā conditioniſ
homunculum in eo prælio ſaucium hoſtes reddant, ſummae
id ipſis admirationi erit, obſtupescentibus vndeñam aut qua
illud ratione acciderit, factūque ita interpretabuntur,
quasi ſua iam reſ collabi, atque in hoſtium potestatem pau-
latim venire incipient: aequè ac Iofua olim fecit cap. 7. ubi
triginta ſex viros Iſraēliſtas ab Hätiſ occiſos viderat: Ah
domine Deus, inquiens, quid dicam poſtquam Iſraēl coram
hoſtibus ſuis terga vertit? In eadem & illi opinione futuri
ſunt, ſi vel unī alicui fuorū vulnus iſtictum viderint, at-
toniti ſtupebunt. ut aſpiciant ad me: illius nempe cauſa,
quem hoſtes ita ſaucium reddidere. plangēntque ſuper
eo. Non aliter ac pater quippe filium quem unicum ha-
bebat, morte ſublatum, lachrimis abūdē prosequi ſolet, aut
qui primogenito orbatus eſt. At enim maiores noſtri (quo-
rum memoriæ ac recordationi ſuus habet or bonos) ad Mes-
ſiam Iofephi filium hæc referunt: quippe qui inter prælium
interſiciendus fit. Sed illam ego interpretationem admiror:
quo modo eundē oculuerint, nulla prorsus ipſius facta mē-
tione. Amarē habebunt. aegritudinem animi atque mœ-
rorem huiuſmodi verbiſ intelligit.

In die illa erit luctus ille magnus in Hieruſalem,
tāquam luctus in Hadadrimon in campo Megid-
don. Et lugebit terra, quælibet ſeorsim: familia Da-
uidis

COMMENTARII KIMHI

uidis seorsim, & vxores eorum seorsim. Cognatio domus Nathan seorsim, & vxores eorum seorsim: familia domus Leui seorsim, & vxores eorum seorsim: familia Semei seorsim, & vxores eoru seorsim. Omnes denique familiæ quæ reliquæ sunt, quæque seorsim, & eorum vxores seorsim.

Amarissimis fletibus mortem Christi prosequentur, quem luctum ei comparat, qui Iosiae olim nomine suscipiebatur: vnde & Hieremias Lamentationes conscriptæ sunt. Fuit enim Iosias rex iustus, & Iesu Christi typus, instaurator legis, & diuino cultui addictissimus.

Quod de Hadadrimon in campo Megiddon narrat, fuit illa quidem res apud eos probè cognita: nusquam tamen (quod sciam) in sacris literis eiusdem mētio occurrit. Et lugabit terra. Terra nimirūm incolæ vicem illius dolebunt, cui vulnus infictū fuerit. pro eo quod Latinè dicitur quælibet seorsim, in Hebræo legitur familia & familia seorsim, id est, singulæ in singulis suis locis. Earum porro familiarum, quarum hic disertè meminit, nempe Nathan & Simeonis, magna tum temporis famæ celebritas & insignis gloria erit: quam prophetico more futuram prædicit. In eo autem quod uxores eorundem seorsim luctum apud se inituras commemorat, decorum obseruatur, & honesti ratio habetur. Aut ille sensus esse potest: quoniam fæmina quæ viri ad luctum propèiores, in unum aliquem locum seorsim à virili consortio coiturae sunt, quo liberius pro ingenio ac more suo fletibus & lachrymis indulgeant.

Caput 13.

In die illa vena aperietur domui Davidis & habitatoribus Hierusalem, ad expiandum peccatum & menstruam immunditiam.

Hic

Hic recensentur commoda , quæ accepimus ex effusione sanguinis Christi,eiusdémque passione.

Fontis nomine, vel sanguis Christi, vel baptismus intelligitur , quo omnia scelera & peccata abluuntur: ita ut nulla vestigia remaneant.

Sententiæ vis ea esse poterit, quam verba ipsa nuda præ se ferunt : atque ita connectitur cum his quæ eodem hoc libro, cap. 14. dicuntur: Effluent aquæ viuæ de Hierusalem, quemadmodum à maioribus nostris (piæ illis quidem memoriae) fertur: aiuntq; præterea (quod & notanter dicitur) fieri posse , ut aliæ quoque scaturigines iisdem permisceantur. vena aperietur domui Dauidis: nēpe unus idemq; fons tum sacrificiis peragendis,tum abluendis immunditiis inferuet. Quin & in ea opinione sunt, ut dicant aquas illas, quas diximus, in fluuium ingentē erupturas, postquam ostium ædium Dauidicarum alluerint : iuxta id quod hic habetur, in die illa vena aperietur, &c. Quādoquidem autem sententiam hactenus literali planè sensu explicuimus, similis erit & illorum verborum interpretatio, quibus expiationis peccatorum, & menstruae immunditiæ meminit. Etenim quum nullæ ante id temporis aquæ per medium urbis Hierosolymitanæ fluxerint, tum primum perenni ac perpetuo cursu in ipsa adeò ciuitate ferentur, ita ut nequam deinceps opus sit egredi ciuitatem , peccati expiandi causa, quod non nisi viuo flumine abluebatur, ut lege scriptum proditur . Idem etiam in immunditia menstrua fiet, quæ pollutionis quoddam genus est, & aquas perennes postulat.

Eritque die illo , dicit dominus exercituum , excindam nomina idolorum è terra : ne eorum ultrà mentio fiat:tum & prophetas, & spiritum immun dum è terra expellam.

COMMENTARII KIM HI

Idôla ea intelligit, quæ vel ante exilij eorum tempora, iam inde ferè ab initio ibi fuerant, vel quæ hodie ab incircuncisis & præputiatis hominibus eodem in loco coluntur. tum & prophetas: aruspices nempe, vanosque hariolos huiusmodi, quales sub prima æde fuerunt. spiritum immundum, malam illam innatam concupiscentiam vocat, & quam nos fomitem peccati appellamus.

Ettum id quoque fiet, si quispiam vltra vaticinatus fuerit, dicent ad eum pater eius & mater eius qui genuerunt eum. Nequaquam viues, quandoquidem médacium in nomine domini loquutus es. Quin confodiēt eum pater eius & mater eius, genitores eius, eo q[uod] vaticinatus est. Eo quoq[ue] tēpore prophetæ quisq[ue] à sua visione, quam vaticinio suo prodidit, pudeſtient, nec chlamydem villosam, ut fallant, induent. Quin potius dicet: Non sum propheta, sed agricola sum, ab hoc aut illo ab adolescentia mea institutus, ut possessiones colerem. Tum dicet ad eum: Quid ergo sibi volunt plagæ illæ intra manus tuas? dicētque: In domo eorum qui me diligunt, percussus sum.

Zelus piorum hominum erga Christi religionem describitur, tam vehemens, ut ne suis quidem in causa impiorum dogmatum parcere velint.

Huiusmodi erat habitus prophetarum, ut quo tempore populum ad penitentiam prouocabant, cilicio vterentur.

Pudebit pseudoprophetas suę quenque visionis, adeò ut professio nem vaticinandi, atque impia sua & hæretica dogmata lubenter eiure velint.

Ego, inquit, pseudoprophetas expellam. Quod si fortasse acciderit, ut sceleratus quispiam fucatis adhuc verbis mendacia consuens, prophetam agere velit, & diuino se spiritu

spiritu afflatum, recte omnia prædicere contèdat, tanta scilicet illis temporibus ingenij acrimonia, ac tanta perspicacia hominibus eius ætatis inerit, ut facile de verbis illiusmodi iudicium latiri sint, utrum vera an falsa censi debant. Adeoque parentes eiusdem, qui vita ipsi authores fuerunt, vita prorsus indignum eum iudicabunt, quorum illa verba futura sunt: Nequaquam viues, quandoquidem mendacium in nomine domini loquutus es. Auxesis quedam est in eo, quod quum prius patrem & matrem nominasset, poste à addat, qui genuerunt eum: quò res perspicua magis euaderet. Quin confodient cum pater eius & mater eius. verberibus eum probè castigatum dabunt, nec citra vulnera desistent, ut moribus emendatiorem reddant. Aut confodient, id est, interficien t eum, quemadmodum ipse ait: nequaquam viues. In die illo pudefient: ubi scilicet euentu frustrata atque irrita vaticinia sua viderint, pudore toti suffudentur. Nec chlamydem villosam ut fallant induent. Moris enim fuit pseudoprophetis sacco & cilicio indui, quò vulgo fucos facerent, & fidem sibi apud homines conciliarent, utpote qui simplices plane, iusti, integri, & ab omni mentiendi studio alieni, coram videri velint. At enim postquam irrita iam omniq; autoritate destituta sua vaticinia viderint, pudebit eos sui: studiis & prophetiis illis suis longū vale dicent, amictum huiusmodi deponent: breuiter de vaticiniis à se editis interrogati, efficto per mendacium responso, negabunt se vates esse, autulla unquam memoria prophetas egisse: quin terræ potius colendæ operam nauasse, nec huiusmodi studiis addictos aliquando fuisse, nempe homines in re rustica, pecunaria, ac mercimonius exercendis semper ver-

ſij ſatos.

COMMENTARII KIM HI

satos. Quin potius dicet. Interroganti nimis, ubinam tandem sua sit prophetia, per mendacium respondebit, dicetque: Evidem propheta non sum. Hic aut ille artem pecuariam me docuit, id est, instituit quo modo rei pecuariae curam gererem, & agriculturae vacarem. Tum dicit ad eum: Quid sibi volunt plagæ illæ intra manus tuas? Agedum ergo, si ita se res habet, ut tu te prophetam negas, ecquid sibi volunt conspicui adhuc intra manus tuas vibices illi & cicatrices? Argumento enim sunt prophetam te olim egisse, atq; eo nomine vapulasse à parentibus, qui te verberibus etiam probe castigatum, à prophetica professione reuocare voluerint. dicetque: In domo eorum qui me diligunt, percussus sum. Tum ille vicissim, nequaquam, inquiet, prophetandi studium huiusmodi mihi plegas accersit. Enim uero qui optimè mihi consultum volebant, plegas illas mihi, studio emendandi, & ad meliorem frugem perducendi tum temporis inflixerunt, quum iam inde à prima statim ineunte pueritia operi rustico emancipatus remissemem in eo gerebam, & officio nequaquam sedulam operam nauabam. Causa sane quamobrem huiusmodi plagis ab illis exceptus fuerim, haud alia erat, quam ut à puerilibus studiis anocatus operi sedulo faciendo incumberem. Vnde & vibices illos argumento esse dicet, manicas olim pedicasque sibi ab illis inductas fuisse, quò minus in publicum prodiret. Cæterum quod his verbis significatur, locum aliquando inueniet, pro eo ac Deus ipse ter maximus certo suo ac definito tempore futurum decreuit. Ait enim 2. Ioëlis: Visuenerit post hæc ut effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri, & filiae vestrae. Qui vero prophetandi munere nequam

quam id temporis valebunt, ad alios æmulandos se se component, adeò ut ipsi quoq; prophetas agere, & suis sibi verbis vaticinandi functionem perinde vendicare velint, atq; alijs fecerint. Quare cognita tandem, & audita futili illa atque cuanida prophetia, parens uterque dicet: Nequam viues: quandoquidem mendacium loquutus es in nomine domini. Nec chlamydem villosum induent: ut primo quoque tempore factitabant, sacris induiti: & ad eum modum composite amictu, qui anachoretarum, diuinique cultus studiosorum hominum proprius haberet solet, quo illi sua vulgo figmenta persuadere conabantur. Cæterum instantे iam illo tempore, quod olim futurum diximus, conspecti semel à populo & animaduersti, mendaciis se tuebuntur, falsoque dicent, nihil se unquam aliud professos quam agriculturam. Agricola ego sum. Hic aut ille, nempe è vulgo aliquis, me sibi coëmit, rei pecuariæ ac operis rusticis addixit. Interrogantibus deinde quid ergo sibi volunt plagæ illæ intra manus tuas? plagæ, inquiet, hæ illæ sunt, quibus in ludo literario exceptus olim fui ab amicis, ob errorem inter scribendum, ediscendum, aut aliud id genus opus, quod illi fortè in buccam venerit, per imprudentiam admissum.

Excitare ô gladi super pastorem meum, & super virum coæqualem mihi, dicit dominus exercituum: Percute pastorem, dispergenturque oves. Reducam autem manum meam super paruulos.

Gladius passionem Christi significat, eundemque violenta morte moriturum. Sunt autem hæc verba patris de filio, in quem gladius ille nihil potuisset, nisi permittente Deo: simùlque filium sibi consubstantialem pater vocat.

Rabbi Salomon Iarbites (cuius memoriam lubens amplexus est plector)

COMMENTARII KIMHI

plector) de Romanis ab Esau oriundis haec interpretatur: quippe quos ouibus, inquit, meis in exilium abductis præfecerim. Et super virum coæqualem mihi, quem socium tuendis ouibus meis adhibui, & in æqualem laboris partem vocavi. percutere pastorem: id est, impium & sceleratum regnum. Sed ingeniosus Rabbi Abraham de magna bellorum copia prophetā hanc interpretatur, quæ nusquam non gentium exoritura sunt, sub ætatem Messiae Iosephi filij. pastoris porrò nomine, regem gentium exterarum significat, qui quum cœlitus à Deo concessas terræ administrandæ habenas habeat, ipse sua sibi opinione Deus quispiam videtur. ideoque ait: Super virum coæqualem mihi: nempe qui parem se mihi putet. percutere pastorem. Futurum quidem est, ut Deus Opt. Max. euerat funditus ethnicos omnes reges: & oues illorum hæc atque illac dispergantur. paruulos inferioris ordinis principes vocat, & huiusmodi quorum minor est quam regum authoritas. Chaldaæ paraphrasis ita habet: Exercete ergo gladio in regem & in principem socium eius ei parem & consimilem: occide, inquit dominus exercituum, & dispergentur principes, & plagam potentiae meæ reducam in secundos. intelligit secundos à regibus & principibus.

Erítque in omni terra, dicit dominus, vt partes duæ in ea excindantur & deficiant: tertia autem in ea reliqua fiat. Et hanc tertiam in ignem ducam, & excoquam eos ut argētum excoquitur: probabōq; eos, vt aurum probari solet. Ipsa inuocabit nomen meum, & ego exaudiam eam. dixi, populus meus hic: & ipse dicet, Dominus est Deus meus.

Vix tertia pars Iudæorum in excidio Hierosolymitano seruata fuit:
cadémq;

eademque variis ærumnis ac malis probata, ut aurum. Ita & piorum hominum magna paucitas erit. Angusta via est, quæ dicit ad cœlum, & pauci ingrediuntur eam, &c.

In omni, inquit, terra, nœpe in tota terra Israëlitica: quis sint etiā qui orbē uniuersum intelligent. Nulli enim alij ethnicī homines superstites futuri sunt, q̄ probi & diuino cultui addicti. Excindātur & deficiant hi fame, illi vero ense. Tertia autē in ea reliqua fiat superstes adhuc in terris & in columis. In igne ducam, id est, ærumnis durisque molestiis exagitabo, quæ naturam ignis referent. Idcirco autem ignis meminit, quia superius auri atque argenti conflatōri similes eas dixerat, utpote quæ igne adhibito probari soleant. Eodemque planè modo & illi explorantur, ac tantū non conflari videntur, interim dum forti pectore & inconcussō animo durissima quæque mala perferunt, quando perferendi tempus ingruerit: quem eundem sensum Jonathan sua quoque paraphrasi expressit. Traducam, inquit, tertiam illam partem per ærumnas in fornace ignis, &c.

Caput 14.

Ecce dies domino venit, & spolia tua in medio tui diuidentur. Congregabo omnes gentes contra Hierusalem in prælium, vrbs capietur: domus diripientur, & matronæ violabuntur: pars vrbis media in exilium egredietur: reliquum autem ex populo non excindetur ex vrbe.

Alij de excidio Hierosolymitano, alij de Antichristi tempore hæc intelligunt.

Hoc impletum fuit sub Tito, cuius exercitus variis populis constabat.

Domino, inquam, dies ille inferuet, quippe quo perspi-

cua

COMMENTARII KIMHI

cua euasura est eiusdem præstantia ac gloria , quum Gog
& Magog expeditionem aduersus Israëliticam terram su-
scipiet: quemadmodum apud Ezechielem prophetam præ-
dicitur: Et spolia tua in medio tui diuidentur. Oratio
hæc propriè ad urbem Hierosolymitanam spectat, ut gen-
tes in medio eiusdem , spolia inde ablata inter se partiture
intelligantur: id quod & illa verba testantur, quibus ait:
domus diripientur. quanuis Ionathan in hunc sensum
ea interpretetur: Eccum diem venturum cædibus ac stragi
ædendæ à domino destinatum, partientur inter se Israëlitæ
gentium exterarum bona, idq; adeò in medio tui o Hiero-
salem. Congregabo omnes gentes: perinde ac si dicat,
author illis futurus sum, & animos suggesta, ut prælio ur-
bem Hierosolymitanam lacessuri accedant : quale quid
Ezechielis 39. legitur: Adducam te de lateribus aquilonis,
& inducam te in montes Israëlis. Vrbs capietur: in eum
scilicet finem huiusmodi misera rerum conditio calamitatis
que immittenda est, ut experimentum de tertia iam dicta
parte superstite sumi posse: cuius & apud Esaiam mentio
fit, cap. 26. Lateas paululum vel ad mometum, donec præ-
tereat indignatio. Itidem Danielis 12. in hanc sententiam:
Erit tempus difficile, quale non fuit ab origine populorum.
Pars vrbis media in exilium egredietur: id est, ex ur-
be in hostium castra foris posita, ceu captivi migrabunt.
Atque in hunc quidem modum Deus Opt. Max. obno-
xios illos hostium potestati dabit, ut experimentum de ip-
sis sumat. Cæterum incolmis inde euadet, quisquis nomi-
natim libro inscriptus fuerit: omnemque illam aduersam
fortunam obfirmato pectore perferet. Reliquum autem
ex populo non excindetur ex vrbe. Non enim post id
temporis

temporis Deus passurus est, ut in hostium potestatem venniant: quin superiores Israëlitæ futuri sunt, eiusdem auxilio freti. Atque hoc illud est, quod in sequentibus ait.

Et egredietur dominus, & contra gentes illas pugnabit, ut tempore belli belligeravit. Illa die stabunt pedes eius in monte olearum, qui est in prospectu Hierusalem ad orientem: diffindeturque mons olearum, medius versus orientem & occidentem, ut sit vallis maxima. Dimidium deinde illius montis deflectet ad aquilonem, & dimidium eius ad austrum. Fugietis per vallem motum, eò quod vallis montium ad Azal pertinet: fugietisq; sicut fugistis à metu terræmotus in diebus Vsiæ regis Iehuda. Et veniet dominus Deus meus, omnésque sancti tecum.

Prædictum fore ut post ascensionem Christi (quæ nomine motis olearum, à loco è quo ascendit hic indicatur) mons oliueti in duas partes dividatur, id est, ut euangelium in uniuersum orbem dispergatur, nec quicquam eius prædicationi obsteret. Orientis & occidentis nomine, reliquias orbis partes intelligit.

Fuga illa Iudæorum peruieaciam innuit, qua ecclesiam catholicam deserturi sunt, & cā amplius non inhabitaturi. Aut præ stupore fugient attoniti, quod gratia Dei illis omissis, ad gentes dimanet.

Euenient quæ dominus Deus prædixit per sanctos suos prophetas Iudæis & gentibus. Alij ad secundum Christi aduentum referunt, quo iudicaturus orbem adueniet.

Meminit hic temporis cuiusdam, quo bellum gestum fuit. cæterum quodnam illud fuerit, haud explicat. Interpretes hoc loco paraphrasim Chaldaicam sequuntur: quæ ita habet, ut eo tempore quo pugnauit in mari Rubro. Summis enim angustiis Israëlitæ id temporis premebantur, quum a tergo insequentes Aegyptios haberent. Moses autem egredie-

COMMENTARII KIM HI

gius ille præceptor noster (cuius sacro sancta nobis memoria esse debet) huiusmodi eos verbis alloquebatur, Exodi 14. Dominus bellum geret pro vobis, & vos tacebitis. quibus ista quoque in præsentiarum respondent, quæ hic dicuntur. contra gentes illas pugnabit. Et stabūt pedes eius. Metaphorica locutio est. Talem enim speciem præse ferre videbitur portentum illud atque inauditum signum, quod in olearum monte perspicuum apparebit, ac si in duas partes fissus debisceret. At enim perdoctus quidam magna que authoritatis Rabbi Moses (quem faustum felixque sit hoc loco nominasse) raglav (quam hic Hebraicam dictionem habes) causæ loco & pro authore positū interpretatur: æque ac Genes. 30. eiusdem vocabuli usus occurrit: Benedixit tibi Deus ad pedes meos: id est, mea causa, meo que nomine: nempe ut efficientem causam intelligat: perinde ac si diceret Deum Opt. Max. portentorum illiusmodi authorem causamq; futurum, quæ in prædicto loco tum temporis ædenter. Ionathæ interpretatio hunc in modum sè habet: Manifestabitur eo tempore potentia eius. Quum montem olearum in prospectu esse urbis Hierosolymitanæ ait, tantundem est ac si dicat eandem continuam esse atq; coniunctam ab orientali parte. Medius versus oriëtem & occidentem. Totus ille quidem mons quantus quantus est, ab oriente occidentem usq; bifariam findetur: partiūq; altera media septentrionem, altera meridiem versus feretur. Inter utrāq; verò, planities quædā amplissima futura est, deflectet ad aquilonem. deflectendi vocabulo pro eo quod est recedere, & loco suo moueri usus est, quasi montem illum emotum iri dicat, & alteram eiusdem partem medium, relicta propria sede, ad plagam septentrionalem, alteram

alterā verò meridiē versus recessurā, ita ut utrinq; aequor patéret: quem eundem sensum & Ionathan expressit: Deflectet, inquit, id est, eradicabitur. Sententia porrò & vis ipsa huius portenti parabolicā innuit, fore ut absorbeatur penitus huiusmodi gentes, quae aduersus urbē Hierosolymitanam hostili animo venient hinc illinc interitum passuræ. fugietisque per vallem montium. Vbi mons ille fissus semel fuerit, præ fragore ac ingenti sonitu fugæ locum dispergient: séque per vallem montium fuga inde subducant. eo qd vallis montiū ad Azal pertinget. vallis enim ea, quā fissura montis producit, pertinebit pertingetq; ad Azal usque (quod loci cuiusdam nomen est) perinde ac si dicat, foris in extimis montium partibus fissuram hanc futuram, Azalem usque protrahendam. Eò verò se recipient, per exteriora montium euadendi spe concepta. vallis tamen utrobiq;, tam illuc qd hic occurret. Quemadmodū fugistis. Sensus est, quemadmodū fugerūt maiores vestri: quo modo tum alibi, tñ potissimum Deut. 6. loquitur scriptura: Eduxit nos i. maiores nostros, dominus ex Agypto. A metu terræmotus. Sunt qui verba illa Esaiæ 6. Et commouebantur postes cum liminibus, de terræmotu, qui tum temporis acciderit, interpretentur: atque eodem pertinere existimant, quod Amos 1. in ipso statim initio legitur: nempe, Biennio ante terræmotum. Et veniet dominus Deus meus. Tum, inquam, prodibit dominus ac Deus meus: iuxta illud quod aliás superius occurrit: Egredieturque dominus. pro eo ac nos eum locum interpretati sumus. Omnesque sancti tecum. perinde ac si præposita particula copulativa dixisset: Et omnes sancti. quo modo & illud effertur Haba. 3. Sol, Luna. pro Sole & Luna. Itidem Exo. 1.

t ij Ruben

COMMENTARIUS KIMHI

Ruben Simeon. cum Ruben & Simeone intelligat. Adhac Hosea ca. 8. Rex, principes. id est, rex & principes. & quae sunt id genus loca alia. Sanctorum porro nomine angelos significat: ut Psal. 91. Quoniam angelus suis mandabit de te. Itidem Iohannes cap. 3. Ibi occumbere faciet dominus robustos tuos. Tecum, secunda persona dixit, respectu urbis Hierosolymitanæ. quemadmodum & superius in initio huiusce capituli: In medio tui. Ionathā vero per tertiam reddit: una cum illo. Cæterum ingeniosus Rabbi Moses filius Maimonis, vir & magnæ authoritatis & pia memoriae, de fiducia illa animi, bonaq; spe, sententiam hanc interpretatur: quam ex verbis suorum prophetarum Israëlem concipere, sibique persuasimam habere iubet: Veniet, inquit ille, dominus Deus meus, per omnes sanctos proisque viros. qui tecum, id est, cum Israële loquuntur. Principium porro huius sententiae, ubi habetur Hebraicè venastem, Chaldeus paraphrastes ita reddidit: & obturabitur. Verisimile est eum legisse venistam, eadem forma, qua veniebat. Hierome 2. occurrit, ubi ait: Et altè descripta est apud me iniqitas tua: quemadmodū nonnulli codices habent. quo modo & orientales legere dicuntur, venistam, &c. Quod si ita se habeat: sensus huiusmodi erit: Postquam enim uero mos ille olearum diffissus fuerit, elapsō deinde aliquo temporis spatio, nēpe hora una aut altera, die, aut plurium diērum interuallo, coalesceret in integrum: quæ res portenti magnitudinem augebit, ut fissus denū obturetur. Non enim usitato more fit, ut terra motu semel cōcussa, hiatusque diffissa, rursum coalescat. Quanuis enim uero hoc olim in eo terræ hiatu acciderit, qui Choræ eiusdémque socios absorpsit, nempe ut fissa tellus obducta rursus coaluerit: (quem admodum

admodum Numerorum 16. habetur: Et operuit super eos terra) magni id etiam portenti loco haberi debet. Quod vallem montium postea ad Azal usque pertingendam dicat, ita explicari poterit. planities illa intermedio duarum montis partium loco producenda, ubi ob signata rursus in se coaluerit, ad summum usq; montis illius verticem sine ullo interstitio pertinget: adeo ut dici planè nō possit, media ex parte aut duobus in locis, sed totum prorsus motem ad eum usque locum, qui cæteris partibus excelsior eminet, tantum non signaculo occlusum fuisse. Azal enim excelsum quid & eminens significat, ut Exodi 24. constat. Excelsis filiorum Israël, nempe principibus magnatibusque non intulit manum suam. Montium autem pluraliter quum meminit, olearum montem intelligit, qui natura quidem unus, accidente tum temporis fissura geminus efficietur.

Isto die lux nulla erit, sed frigus & congelatio. Dies autem ille singularis, domino cognitus est: neque dies erit, neque nox: verū ad vesperam lux erit.

Frigus & gelu, charitatis, fideique defectum significat. Refrigescet enim extremis temporibus charitas multorum, & filius hominis quum venerit, inuenientne fidem in terra? Luc. cap. 18.

Eode illo die, quo prodigium superius accidet, huic etiam rei quæ iam explicatur, locus erit, nempe ut lux splendida non appareat, sed coagulata & obscura. Sensus autem, quem metaphora exprimere voluit, huiusmodi est: Haudquaquam splendida & egregiam futuram illius diei lucem qualis chara esse soleat, & in magno pretio haberi: quemadmodum Iobi cap. 31. describitur: ubi Luna gloriose incidentis meminit, Imò nec lux, inquit, erit coagulata, aut nubes à te-

COMMENTARII KIMHI

nebris parum distans, id est, nec omnino diei, nec tenebris prorsus similis erit: perinde ac si dicat diem illum nec hilarem, nec tristem totum futurum, nec in gaudio, nec in mæmore transigendum: quia utriusque locus erit. Atque huc pertinet, quod mox subnectit, neque dies erit, neque nox. Jonathan in huc modum vertit: Non erit lux nisi recedens & coagulata. Dies autem ille singularis Deo Opt. Max. peculiariter & propriè inserviet, utpote qui conspicuus atque illustris in eo euasurus sit, facinoribus illis præclaris ac stupendis æditis, quibus fortitudinis suæ specimen dabit. Neque dies neque nox i. nec in uniuersum dies nec omni ex parte nocti similis, quasi dicat: Nec ærumnam solam, nec recreationem animi aut spiritus refocillationem totum illū diem occupaturas. Verum ad vesperam lux erit. Ingruente iam summa rerum angustia, adeò ut captiui ciues abduci videātur, dominus in medium prodibit, & pugnam cum huiusmodi gentibus suscipiet.

Hoc ipso die effluent aquæ viue de Hierusalem: dimidium earum ad mare anterius, dimidium vero earum ad mare posterius: eruntque tam in æstate quam in hieme: eritque dominus rex super omnem terram. In illo die erit dominus unus, & nomen eius unum.

Magna erit veræ religionis ignoratio, Christus partim cognoscetur, partim ignorabitur. Sub finem tamen mudi magna futura est eiusdem cognitio, & unus Christus coletur, idolatriæ locus amplius non erit, ad baptismum omnes accedent, qui viuentium aquarum nomine hic designatur.

Hoc enim uero illud est quod apud Ioëlem prophetam cap. 4. prædictum: Fons de domo domini egredietur, &c. atque eodem spectat & illud. Ezechielis 47. Ecce aquas dimanantes

manantes ab humero dextro: ubi eadem postea ad iusti flu
minis magnitudinem auctas iri narrat. ad eundem nempe
prorsus modum, quem ibi scriptum habes, per mare ante-
rius, quod orientem respicit. posterius, quod occidentale
appellatur. Idem Ezechieli cap. superius memorato, expri-
mitur: *Vbi influunt, inquit, in mare alterum, & ad alterum*
educuntur. Eruntque tam in aestate quam hieme. Tam
fœcundo scilicet aquarum gurgite fluent, ut nullo unquam
tempore per squalorem exaritura sint ista flumina, nequa-
quam inanem sui spem dabunt. Ionathan huiusmodi ver-
bis sententiam expressit. Scaturient tum aestate tum hieme.
Meminit porro aestatis & hiemis (ut author est ingeniosus
*Rabbi Abraham Aben Esra) eo quod hæc tempora maxi-
mam exiccandi vim habeant. Calidi enim sunt dies aesti-
ui, frigidi vero & humidi hiberni: quibus temporibus aqua-
rum fluuiatilium penuria desideriumque magna ex parte
esse solet. Eritque dominus rex. Postquam videlicet su-
pendas illas res gestas, quas superius enumerauimus, oculis
oppugnatores urbis Hierosolymitanæ usurpauerint, tum
demum intelliget, Deum Opt. Max. ubique terrarum imperare,
inferiora hæc illi curæ esse, & in his omnia eum pro
suo arbitratu ac lubitu administrare. Quin & naturæ or-
dinem eundem sèpe inuertere, quo voluntati hominum il-
lorum respondeatur, apud quos nominis sui religio pauor-
que viget. Quæcumque enim uspiam cernuntur, eo autho-
re producta sunt. In illo die erit dominus unus, & no-
men eius unum. Intelligent enim Deum unum esse, nec
numen aliquod ab eo diuersum reperiri: eadémque ratione
nomen illi unum conuenire, ita ut nusquam alterius Dei
mentione facta, eius solius nomen in hominum ore versatu-*

rum

COMMENTARII KIM HI

rum sit: æquè ac anteà, cap. 13. dicebatur: Eritque die illo,
dicit dominus exercituum, excindam nomina idolorum è
terra, ne eorum ultrà mentio fiat. Per doctus autem Rabbi
Abraham Esrites locum hunc de nomine illo ter magno ac
tetragramatico interpretatur in hanc sententiam. erit no-
men vnum. illud videlicet quod Mosis præceptoris no-
stri opera (honos interim habet oras sacras sanctæ eiusdem memo-
riæ) olim innotuit: eodem planè modo tum temporis profe-
rendum, quo scribitur. Consona etiam huic fuerit ingeniosi
et ter magni Rabbi Mosis interpretatio de nomine illo
tetragramato. Quæcunq; enim nomina Deo Op. Max.
attribuuntur, aut à natura (quæ propria est actionū ipsius)
aut à rectissima, quæ ipsi inest, perfectione definita viden-
tur. Crescēte porrò nominum huiusmodi, quæ eidem attri-
buuntur, numero, nonnulli formas etiam varias multasque
Deo induci putauerunt, et totidem redi, quot actiones
illæ sunt, è quibus nomina imponuntur. Quem ille errorem
aduentu suo mortalibus patefaciet, et scrupulum huius-
modi animis hominum eximet: idcirco ait, in illo die erit
dominus vñus, & nomen eius vñum: id est, quemad-
modum ipse sua quidem natura vñus ac idem est, ita uno
duntaxat eodemque nomine tum temporis insignietur: atq;
illud quidem substantie rationem indicabit nequaquam
ex attributis impositum. Huc accedit et Ionathæ para-
phrasis, qui hunc in modum vertit: Manifestabitur id té-
poris imperium Dei Opt. Max. super omnes incolas terre:
diuino pariter cultui inseruient: quoniam ubique terra-
rum eiusdem nomen subsistet, nec aliud quispiam ab eo in-
uenietur.

Circundabitur vniuersa terra ut æquore plano,
à Geba

à Geba vsque Rimon ad meridem Hierusalem , & sublimis erit, situmque habebit in loco suo, à porta Beniamin, vsque ad locum portæ primæ, vsque ad portam angulorum , & ad turrim Hananeel, vsque ad torcularia regis: habitabuntq; in ea, nec erit amplius excisio. Sed Hierusalem sedebit tuta.

Vniuersa reliqua terra circa Hierusalem, quæ montosa est, mutata vertetur in planitem, id est, omnium hominum conditio similis futura est, quoad ecclesiam catholicam , omnes eundem Christum amplectentur.

Status ecclesiæ futurus sub finem mundi prædictus. Frustrè contra eam subsidia militum aut humana consilia querentur : plagam incutiet dominus omnibus populis, qui eam oppugnabunt.

Regio illa tota, qua Hierusalem ambitur, hodie ut nunc se habent tempora acclivis & montibus prærupta, (quemadmodum Psalmo 125. dicitur: Hierusalem quæ montibus vnde cingitur) in campestrem planitem, latèque patetis æquoris formam redigetur , eadèque longè sublimior ac eminentior reliquo orbe reddetur. Quāvis autem etiam in præsentiarum eadē terra Israélita excelsior habeatur, montium huiusmodi nomine qui eam vnde cingue ambiunt, non erit illa tamen eminentiæ tum temporis conspiciendæ ratio: sed tum multò reliquis omnibus terræ partibus sublimior apparebit , quum finitima loca in planitem redacta fuerint. Atque hoc illud est quod in vaticinio Esaiæ cap.2. dicitur: Erit mons domus domini præparatus in vertice montium, & æditior erit cunctis collibus. Quam eandem eminentiam, tametsi quum de eo loco ageretur, ad potestiam dignitatèque retulerimus , uterque tamen sensus & hic & ille constare potest. A Geba vsque Rimon. planities hæc ab eo loco initium capiet. Ad meridiem Hierusa-

v lem.

COMMENTARII KIMHI

lem. *versus eam urbis partem quæ ad meridiem spectat.*
Et sublimis erit. *in eum quidem sensum, quem iam scripsimus: nempe ut reliquæ toti terræ emineat.* Situmque habebit in loco suo. *in eodem prorsus loco, quem iam occupat, futura est, sed aucto quo ad longitudinem latitudinemque. Usque ad portam angulorum. Porta hæc angularis, ea ipsa est cuius meminit Hieremiæ vaticinium, cap. 31. quo eodem loco mentio fit & turris Hananecl.*
Torcularia regis. eorundem meminit & Hoseas cap. 9. ubi ait: Horreum & torcular non pascet eos. Fuerunt porro hæc loca illis quidem minimè incognita extra urbem sita. Ionathan ad puteos, inquit, & foueas regias. Habitabuntq; in ea. in omnem nimirum æui æternitatem. Nec erit amplius excisio. ita ut nulla postea hominum memoria populationibus vastitatique obnoxia futura sit. quod idem Hieremiæ 31. prædictur. Non excindetur neque diuetur in sempiternum.

Et hæc erit plaga quam dominus incutiet omnibus populis qui pugnant contra Hierusalem, caro eius contabescet, quumque adhuc super pedes stat, oculi eius contabescerent in foraminibus suis: atque lingua eius in ore eorum contabescet. Hoc die magnus tumultus domini in eis, ut quisque manus proximi sui appræhensa, cuiusque manus in manum proximi sui ascendet. Quin & Iehuda bellum geret contra Hierusalem, & congregabuntur opes omnium gentium circunquaque auri, argenti, tum & vestimentorum plurimū. Et ut hæc plaga, ita erit plaga equorum, mulorum, camelorum, asinorum, atque omnium iumentorum quæ erunt
in

in illorum castris.

De persecutoribus ecclesiæ, & olim hoc factum intelligitur, & in his etiam locum habebit, qui cum Antichristo Hierusalem spiritualem humanis viribus expugnabunt.

Varia iumentorum genera varios militum ordines significant: qui ad unum omnes grauissimè punientur, eò quod aduersus urbem Hierosolymitanam arma mouerint. Tropologicus verò magnus est ille quidem triumphus, gloria Victoria, bruta animalia Deo pugnante superari. Equus cadit, quem adulter ad castitatem reddit. Mulus superatur, quem effrenis libido temperantiae iniecto freno coercetur: eodemque modo de aliis vitiis dicendum.

*Artuum membrorumque defectus innuitur, ubi ait, caro eius contabescet. Quumque adhuc super pedes stat: id est, non in multos dies morbus protrahetur: sed interim dum pedibus adhuc firmissimè inniti sibi videtur, emarcescent tum carnes tum artus. In foraminibus suis. Tabe enim absuptis oculis, concavitas quædam foramina-
nosa succedit, Jonathan hæc verba in hunc modum Chaldaice reddidit: contabescet in orbibus suis. plaga verò illa,
cuius hoc loco meminit, Esaiæ vaticinio exprimitur, ca. 66.
ubi ait: Ponámq; in eis signum, & mittam ex eis qui euaserunt, &c. Cuiusque manus in manum proximi sui
ascendet. Flaccescit, inquit, illi manus, quem proxime sibi
astanti eam iniecerit: eodem modo quo superioris aiebat, caro eius contabescet. Alah enim (quod hic Hebraicum verbum occurrit) excidendi vini & significationem habet:
perinde ac Iobi 5. Quemadmodum frugum acerius exciditur suo tempore. Itidem Exodi 16. Quum euaniisset ros
qui descenderat. & Hieremiac 48. Denastatus est Moab,
& populus ciuitatum eius euauit in auras. quem sensum
& Ionathæ interpretatio reddidit: Dissoluetur, inquit, manus eius in manu sodalis sui. Quin & Iehuda bellum*

vij geret:

COMMENTARII KIMHI

geret: id est, ipsi adeò Iudæi, nempe qui unà cum exteris illis ac peregrinis hominibus urbem Hierosolymitanam op pugnatum venient, ubi plagam huinsmodi viderint, quam Deus Opt. Max. cœlitus immittet, bonis eorundem occupatis, aurum, argentum, & si qua sunt reliqua vestium or namenta corradet: quemadmodum idem superius ait, c. 12. Deuorabunt à dextra & à lœua. per illud verò quod congregabuntur, inquit, opes, principium operis ab his sumendum: ac deinde cines etiam Hierosolymitanos bona eorundem direpturos indicat. paraphrasis Chaldaea ita habet: Quin & Iudeos adducent gentes velut invitatos ad gerendum bellum in Hierusalem, & congregabunt opes omnium gentium, &c.

Porrò, quicunque reliqui fuerint ex omnibus gentibus, quæ veniunt contra Hierusalem, ascendent annuis vicibus, ut adorent regem dominum exercituū, & ut diem festum tabernaculorum celebrēt. Quòd si qui de cognationibus terre in Hierusalem adoratum regem dominum exercituum nō ascéderint, nulla pluia super eos veniet. Quòd si familia Aegyptiorum non ascenderit, neque venierit, neque pluia veniet super eos, sed plaga qua percutiet dominus gentes, quæ non ascéderint celebratum diem festum tabernaculorum. Hoc erit peccatum Aegyptiorum, & peccatum omnium gentium, quæ non ascendunt ad celebrandū dicim festum tabernaculorum.

Metaphoricè, quæ sunt spiritualia noui testamenti per ea intelligit, quæ erant temporalia in veteri lege. Quo modo festum tabernaculorum à Christianis celebrari debeat: vide diuum Hieronymum in hoc caput.

Aegyptiorum nomine reliquæ omnes gentes intelliguntur, quæ
dī Christi religionem suscepint, cœlestis illius roris beneficio pri-
uabuntur, quo mens fœcunda redditur ad bonos fructus producen-
dos. Significat autem gratissimam pœnam eos manere, qui non dabūt
operam, ut tanto studio Deum Opt. Max. in noua lege colant, quanto
Iudæi olim festum tabernaculorum aliásque solennitates coluerunt.

*Reliquorum nomine, prædicto bello superstites intelli-
git: qui & pœnitētiam anteactæ vitæ agent, & ad Deum
verissimis affectibus atque ex animo conuertentur. ut ado-
rent regem dominum exercituum. Agnatum enim
laudibus prosequuntur, utpote regem ubique terrarum im-
peritantem. Ut diem festum tabernaculorum cele-
brent. Quandoquidem prælium illud quod iam diximus,
in quo stupēda rerum omnium opificis stratagemata visen-
tur, id temporis geretur, quo festum tabernaculorum insta-
bit, idcirco quotannis diei eiusdem memoriam refricaturi
in concionem coibunt. Nulla pluuvia super eos veniet,
id est, agri ab eiusmodi coloniis occupati, qui concioni prædi-
ctæ non intererunt, nullo cœlitus dilabētis pluviæ beneficio
eodem illo anno fruentur. Neque pluuvia veniet super
eos. At enim uero talis est fortasse illorum hominum con-
ditio, ut per uniuersum annum pluviæ usus apud eos nul-
lus sit: immo nec pluuvia indigeant. Quod si ita se res habeat,
qualis tandem eos pœna manet? eadem videlicet quæ gen-
tes illiusmodi, quæ in expeditione aduersus urbem Hiero-
solymitanam venient: nempe (ut ante dictum est) conta-
bescet caro, &c. Quæ non ascenderint eo q̄ Aegyptij
nequaquam ad festum tabernaculorū celebrandum Hiero-
solymis interfuerint, huiusmodi plaga excipiētur. Non al-
luet, inquit Ionathan, Nilus eorum agros: sed plaga illis im-
minebit, quam immittet Deus Opt. Max. Hoc erit pec-*

COMMENTARII KIMHI

catum Aegyptiorum , plaga videlicet superius memora-
rata. Et peccatum omnium ḡetium. pluuiæ defectus,
qua (ut anteā dictū est) ita destituētur, ut nihil quicquam
ad eos emanaturum sit. peccati nomine pœnam intelligit:
perinde ac si dicat, supplicium peccati nomine infictū, quo
eodem modo sumitur & Genes. 15. Quia nondum comple-
ta est iniqüitas (pœna nempe iniqüitatis) Amorrhaeorum.
Ionathan vltionem & vindictam vertit.

In die illo consecrabitur domino quod est in e-
quorum phaleris , lebetes quoque erunt in domo
domini, sicut pelues coram altari. Omnis quoque
lebes in Hierusalem atque Iehuda sacer erit domi-
no exercituum: venientque omnes qui sacrificant,
& accipient eos , atque coquent in eis , nec erit illo
die Chananæus ultrà in æde domini exercituum.

Tantus erit illius ætatis piorum hominum in Deum ac proximos
animi feruor ac studium , vt superuacanea omnia ornamenta in usum
cultus diuini & pauperum conuersuri sint.

Lebetes, mentes sunt Christianorū Deo consecratae: in quibus igne
charitatis precum ac votoru liba domino coquentur: horum usus om-
nibus communis erit.

Peccator omnis & alienigena, Chananæus appellari solet: peregrina-
tæ & externæ victimæ boum, ouium, agnorum, &c. cessabūt. Incriuen-
ta sacrificia Deo Opt. Max. offerentur.

Phaleræ tintinnabula illa sunt, quæ in collis equorum su-
spendi solent, squamarum in morem facta. Ea vero domino
sacra erunt. Nam ex his ollæ conficientur , quarum in æde
sanctuarij inter coquendū usus futurus est. Nonnulli equos
hos illos esse interpretantur, qui strage prædicta interficien-
tur. Alij ad huiusmodi equos ista verba referunt, quibus
in itinere quotannis festi celebrādi causa conficiendo uten-
tur, perinde ac si phaleras equorum suorum in sacros usus
conse-

consecraturi sint, ut lebetibus inde confessis, abunde suppetat quò victimæ in æde sacra coqui possint. Quod porro in equorum phaleris ait, tantundem esse dicunt interpres, ac si inscripta, aut alias exarata huiusmodi verba haberent. Sanctitas domino. liquidò enim constabit eas diuino cultui esse dicatas. Nec quisquam in suos usus vel unam aliquam earundem arripiet. At enim, ut author est Rabbi Eliasar, metu illoth ea propriè sunt quæ inter equi oculos suspènduntur: atque eadem illa domino consecrabūtur. lebetes quoq; erunt in domo domini sicut pelues: nempe in magno numero: perinde ac pelues. quem eundem sensum Chaldaeus paraphrastes expressit, qui multos eos futuros ait, ad instar peluum. Harum verò magna erit in æde dominica copia, quibus sanguis excipiatur. quandoquidem multi sacra facturi sunt, nec quisquam eò accedet, nisi victimis una secum allatis ad festi solennem diem peragendum. Erítque lebes omnis. Augebitur, inquit, & crescat lebetum numerus pro ratione eorum, qui sacra facient. Nam priores, quos ædes sacra habebat, nequaquam illis sufficerint. Imò verò omnis lebes in Hierusalem atque Iudæa sacer erit domino exercituum. aptus videlicet coquendis victimis pacificorum: unde & gentes sacrorum causa eò profectæ, accepto lebete coquent. Nec erit illo die Chananeus ultrà. Ionathan ita vertit: Non erit qui mercaturam amplius exercebit: quo modo & illud dicitur Esaiæ 23. Cuius negotiatores principes sunt, & institores incliti terræ, nempe qui mercaturam in eadem exerceant: quasi dicat, haudquaquam deinceps opus futurum mercibus in æde dominica exercendis, quò lebetes aut lebetum confiendorum causa æris materia ibi distrahatur:

COMMENTARII KIMHI

hatur: plurimi enim suapte sponte dona & munera erogabunt, qui sacrificandi animo eò confluent. Cæterum pater idem ac dominus meus (cuius in primis fælicem recordationem obuiis vlnis amplector) de Gabaonitis hæc verba interpretatur, qui quum superioribus sæculis in templo lignis findendis, atque aquæ hauriendæ addicti fuerint, iam tum inde ab eo tempore quod reliquum erit, nequaquam eodem officio functuri sunt: principes enim exterarum gætium, & viri præpotentes, sacerdotibus inseruient: quemadmodum & illud Esaïæ cap. 66. interpretatus est, ubi ait: Et de eis in sacerdotes quoque & Leuitas accipiam, dicit dominus. & quæ sequuntur.

Finis Commentariorum Rabbi Dauidis

Kimhi in Zachariam prophetam.

COM-

COMMENTARII RABBI

DAVIDIS KIMHI IN MALACHIAM

prophetam.

Caput I.



NVS verbi dominici contra Israëlitas,
ministerio Malachiæ.

Arguit Israëlem peccatorem, & præsertim sacerdo-
tes: deinde hortatur ad poenitentiam: postremò prædi-
cit Christi aduentum.

Quod ad Haggæum, Zachariam & Malachiam at-
tinet, vaticinati sunt illi quidem florente adhuc æde secun-
da. Temporisque ratio, quo prophetarint Haggæus & Za-
charias disertis verbis exprimitur: de Malachia vero non
itidem: fuit autem ætate fortasse postremus omnium: id
quod vel ex eo colligi posse videtur, quod nullam omnino
ædis extruendæ mentionem faciat, & què ac Haggæum &
Zachariam fecisse constat Esdræ s. ubi ait: Prophetauit
autem Haggæus & Zacharias filius Iddo: qui fuerunt
prophetæ, ad Iudeos, &c. Itidem & eiusdem: Seniores ergo,
inquit, Iudeorum ædificabant, & prosperè illis successit per
prophetiam Haggæi & Zachariae filij Iddo. A maiori-
bus porrò nostris (quorum memoria nequaquam apud nos
in obliuione abire debet) Malachias hic Esdra fuisse fer-
tur: quanuis nusquam tamen propheta nomine, sed scribæ
duntaxat titulo Esdram insignitum inueniamus. Quod
porrò contra Israëlitas ait, hunc sensum habet, ut ad eos
reprehendendos spectet hæc prophetia, ob eiusmodi flagi-
tia, quæ perpetrabant: homines enim eius ætatis, quos redu-
ces ab exilio Babylonico patria recepit, illiusmodi rerum

COMMENTARII KIM HI

studiis bona ex parte addicti erant, quæ minus honestæ videbantur: exotericis nempe & à genere suo alienis uxori-bus in matrimonii sibi adiunctis: quo nomine & ab Esdra grauissimè reprehendebantur, & Malachias idem illis vi-tio verterat, c. 2. ubi ait: Et duxit filiam Dei alieni. Quin & in violatione sabbathi, aliisque itidem rebus agendis, nequaquam immunes ab omni culpa se præstabant, ut testatur Esdræ libellus.

Dilexi vos, dicit dominus: & dicitis: Quia in re dilexisti nos? An non Esau frater erat ipsius Iacob? dicit dominus: & tamen Iacob dilexi, Esau autem odio habui, & posui montes eius solitudinem, & hæreditatem eius velut desertum draconum.

Longius repetit beneficia collata in maiores, ut ostendat summam ingratitudinem. Odisse Deus dicitur ἀνθρώπον πατέρων: ut flere, ut dolere, ut irasci, ut quando audiimus odium eius in malos, ea quæ Deum intelligimus odisse, fugiamus: Esau, inquit, odio habui: id est, deserui, ut hoc ad debitum iudicium referatur. Iacob dilexi, ut illud indebitæ misericordiæ tribuatur. August. Enchirid. ad Laurent. cap. 98.

Quod si, inquit, interrogetis, ecquid illud tandem sit, in quo dilexisti nos? nonne Esau fratrem Iacobum habuit? Enim uero fratres illi quidem fuere: patre Isaaco mei studiosissimo cultore prognati. Iacobum tamen una cum post-eris ab eiusdem stirpe oriundis, peculiari quodam amore pro-sequutus sum: & quanuis bilem mihi saepe mouerint, per hoc tamē minimè stetit, quo minus illius semini terram eam re ipsa præstiterim, quam aliquando concepto iuramento Abrahamo atque Isaaco promiseram. Esau autem odio habui. pro eo ac sua ipsius admissa, nepotumque suorum mores ac studia efflagitare videbantur. Adeoque parum mihi gratum fuit, ut cōmuni iure terram Chanaanitidem cum

cum Iacobo fratre paritus, eandem patriā incoleret. Quo-
circa Seir montem, cùm ipsi, tum posteris ab eo oriūdis, hæ-
reditario iure adeundum conceſſi. Verū post multa ſcele-
ra ſceleribus addita, quibus in Israēlitas ab ipsis ſæuitum
fuit, quum iam malis illorum insultarent, quum exilium
perditāſque & accisas res eorundem letis animis excipe-
rēt, odio eos habui. Et posui montes eius ſolitudinem.
Montes eius, inquit, quia à monte Seir reliqua tota ipſius
patria nomen accepit. Et quanuis eodem etiam modo ſe res
habeat in uestra patria, nēpe ut ea quoq; perinde ac illorū
regio in vastitatē abierit, vos tamē iam reduces facti eſtis:
eādem patriā hodierno die incolitis. Sed illi nulla vñquam
hominum futura memoria patriæ ſua reſtituentur. Etenim
perpetuò ſqualida & inculta iacebit eorū regio: nulli pror-
ſus uſui, quām vastis draconibus excipiendis accommoda.
ac proinde perſpicuū illud vobis fuerit, Iacobi quidem po-
steros vnicē charos, ab Esau vero prognatos, inuifos potius
mihi fuisse. velut desertum draconum. nempe ut quæ
eos olim patria capiebat, eadem iam, non aliter ac vasta
quædam immanitas dracones atq; vularum fætus capiat.

Si dixerit Edom, attenuati ſumus, reuertemur
ergo: & ædificabimus ſolitudines, dominus exer-
cituum ſic dicit: Ipsi quidem ædificabunt, ego ve-
rò diruam: vt vocēt eos terminos impietatis, & po-
pulum cui dominus perpetuò ſuccenſebit. Oculi
quoque uestri videbunt: & vos ipſi dicetis: Magni-
ficetur dominus ſuper termino Israēlis.

Desolatio eorum futura eſt perpetua, uestra autem migratio non
fuit perpetua. Rediſtis enim è captiuitate, & potefas vobis facta eſt
inſtaurandi tum ædem, tum urbem uestram.

COMMENTARII KIMHI

Quod si cœtus Idumæorum huiusmodi verbis uti velit,
enim uero quanuis in presentiarum tenues admodum &
angustæ res nostræ sint, quanuis vasta & euersa regio, ad-
huc tamen futurum est ut in patriam redeamus: & ruinas
eiusde nouis ædificiis instauremus, perinde atque Israëlitæ
ia fecere, hunc in modū illis respōdet dominus exercituum.
Ipsi quidem ædificabunt, ego vero diruam: id est, si
ædificauerint, ego ædificium subuertam funditus. ut vo-
cent eos terminos impietatis: perinde ac si dicat, pa-
triam illorum ubique terrarum appellatam iri, limitem at-
que extreum terminum impietatis: quoniam incolarum
nequitia & improbi mores in causa fuerunt, ut in vastam
solitudinem nullo unquam tempore restituenda redigere-
tur. Grauis enim & immanis hominum ea impietas Deo
Opt. Max. videbatur, qua multa præter æqui bonique ra-
tionem in fratres eodem Iacobo patre natos, admittebatur:
quum dominus interim, omni laude maior disertis verbis
Israëli præcipiat, Deuteronomij 23. in hanc sententiam:
Idumæum ne abomineris, quia frater tuus est, &c. Sed illi
viciſſim nihil sibi reliqui fecerunt ad extrema mala infe-
rēda, ubi commodum ipsis videbatur ex internecione atq;
exilio eorūdem voluptatem magnam capiebant: quemad-
modum Abdiae vaticinio explicatur: & idcirco dominus
eis perpetuò succenset. Oculi quoque vestri videbunt:
id est, actum prorsus & transactum de illis fore, vos ipsi
præsentes videbitis Magnificetur dominus super ter-
mino Israëlis. Talis id temporis futura est oratio vestra,
quam ab extremis Israëliticæ terræ partibus habituri es sis.
magnificetur dominus: nempe laudibus & fausta vo-
cum acclamatione domini magnificentiam efferetis: eo ipso
nomine,

nomine, quod vos in vestris iam finibus acquiescatis, Idumæorum interim patria neglecta & perdita. Limites porrò vestri, fines Israëlitarum: termini autem illorum, termini impietatis appellabuntur.

Filius honorat patrem, & seruus dominū suum. Si ergo ego pater sum, vbi honor est, quem mihi impenditis? si verò dominus sum vester, vbi mei timor? dicit dominus exercituum vobis sacerdotibus, qui vile habetis nomē meum, & dicitis: Quānam res ordet nobis nomē tuum? Affertis ad aram meam pollutū panem, & dicitis: Quānam res polluimus te? quum dicitis: Mensa domini vilis habetur. Quūmque hostiam cæcam sacrificatis, non est malum? & quādo adducitis claudum & egrotum, non est malum? Adduc quæso tale duci tuo, num id probabit? num suscipiet faciem tuam? dicit dominus exercituum.

Ducibus vestris tam abiecta munera non offertis, & mihi regi magno talia offerre non puderis? idque etiam voto inito: mihi, inquam, cui omnia vestra accepta ferre debetis?

Seruus, inquam, dominum suum reuerentia & timore prosequitur: ut ipse poste à per apodosin, id est, redditionem infert. vbi mei timor? Ceterum quod filium patri honorem, & seruum domino reuerentiam exhibere dicat, næ illud ex eo quod plerunque fieri solet, & recta rationis dilectione pendet: par enim & rationi consonum fuerit, ut à filio patri honos deferretur, & seruus ad reuerentiam domino præstandam vel inuitus adigeretur. vobis sacerdotibus qui vile habetis nomen meum. contrà planè ac vulgo fieri consuevit, ut pater apud filium in honore ha-

COMMENTARII KIMHI

beatur. Inuenitur autem primum omnium in ipsis sacerdos-
tes, quorum officij fuerat alios reprehendere atque edoce-
re: quemadmodum Deuteronomij 17. dicitur: *Veniesque
ad sacerdotes Leuitas: & quæ sequuntur. Imo ne hoc qui-
dem solo contenti, neglecto reprehendi officio, cui super-
sedetis: perditos etiam homines, qui reiectias victimas
adducunt, vestro fauore ac gratia fouetis.* Et dicitis, quâ-
nam re sordet nobis nomen tuum? *Huic interroga-
tioni postea respondetur, ubi ait: Quum dicitis mensam
domini vilescere: verum modum prius explicat, quo inter
polluendum vtebantur: atque hoc spectat quod mox ait,
assertis, &c. panis nomine sacrificium & munus signi-
catur: quemadmodum Leuitici 21. Sanctificabis itaq; eum,
quia panes Dei tui sacrificat ipse.* Itidem 3. eiusdem: *Vt sit
panis (id est sacrificium) igne confectus domino. prætereà
Numerorum 28. Sacrificium, inquit, meum, nempe panem
meum statu suo tempore obseruabis. pollutum conspur-
catum vocat & despicibile, claudum videlicet, cæcum &
infirmum.* Et dicitis, quânam re polluimus te? *qua er-
go fronte, quo ore hæc verba proferre audetis?* Enim uero si
sanguinem ad aram meam immolatum pollueritis, eadem
opera & mihi contumeliam infertis. Mensa domini al-
tare dicitur: *quo nomine & apud Ezechielem appellatur,*
cap. 41. *Et dixit ad me, hæc mensa est coram domino: Nul-
lius, inquit, ea pretij sunt, quæ ad aram meam offerunt: san-
guinem intelligo, & adipem, res planè contemptibiles: nec
illud interim apud se perpendunt, unde tandem aut quo
nomine factum sit, & Deus sanguinem illum atq; adipem
offerri sibi iusserit. Quumque hostiam cæcam sacri-
ficiatis, postquam agnum luminibus captum, immolandum
vobis*

vobis adduxerint, huiusmodi ad eos plarunque solet esse oratio vestra: quasi minimè malus foret: imò verò satis idoneus, qui in sacrificio confiat. Nam & mensa ipsa cùm sorrida sit, haud iniquo iure agetur, si munus itidem haud ita magni pretij in eadem offeratur: Vnde & vos agnum illum ad aram meam offertis: quum officij potius vestri ratio postularet, ut alia longè diuersa oratione vteremini, eumque sacrificio minimè idoneum aut parem fore diceres: quemadmodum lege proditum habetur Leuiti. 22. quo loco ait: Cæcum aut confractum, aut labiis scissum. & quæ sequuntur: Ita, inquam, ne offeratis domino. Vos tamen gratos eiusmodi homines habetis, qui mutilum aliquod aut mancum animal adducunt, illudque adeò minimè malum esse contenditis. Adduc quæso tale duci tuo. Ecqua tandem ratione nequam illud malum esse contendere audetis, quod me presente offeratur? Enim uero si principi alicui, cuius imperio obnoxius viuis carnem eiuscmodi, aut sanguinē dono mitteres, gratiamne tibi apud eum mustulum illud conciliaturum putas? an eo ipso nomine faciliori te eodem usurum existimas ad eam rem impetrandam, quam forte flagitabis? Imò contrario plane modo tibi accidet, odium potius aque indignationem illius promeraberis. p̄eath (quam hic Hebraicam vocem habes patha minusculo maioris loco insignitam) eodē hic modo pro duce & magistratu ponitur, quo Haggai 1. ubi Zorobabelem ducem Iehudæ vocat. Significat autem principem & gubernatorem: quemadmodum ei ex aduerso Chaldaicè dominus aut princeps respondetur.

Nunc igitur precamini quæso faciē Dei, vt nobis beneficus sit: vestra enim culpa hoc sit: num faciem

COMMENTARII KIM HI

ciem vestram suscipiet? dicit dominus exercituum.

Propitius ille quidem vobis etianum futurus est, ac beneficiis vos suis augebit, si ex animo ad eum pœnitentia duce reuersi, veniam admissorum postulaueritis. Ut nobis, inquit, beneficis sit. Etenim dura & aduersa fortuna, qua malè eos habebat, communis prophetæ cum illis fuit, & ex æquo molesta. præterea etiam ut cœtui Israélitico sese aggregaret. Ut nobis, inquit, beneficis sit. qualis & illa oratio est, qua Moses ter maximus ille præceptor noster (quem faustum fælixque sit hoc loco nominasse) Exod. 34. utitur: Tu propitius fies iniquitati nostræ & peccato nostro. edocitus videlicet eandem loquendi rationem ab ipso Deo Opt. Max. qui prior illum ita allocutus fuerat, cap. 16. Quandiu renuitis obseruare præcepta mea & leges meas? Vestra enim culpa hoc fit: nempe maledictio isthæc, quæ vobis incumbit: quemadmodum & ipse inferius ait, cap. 2. Quin & maledictionem immisi, &c. vestra, inquam, ea culpa accidit: quandoquidem multa præterfas ac æquum, Deo etiam coram intuete designatis: inde adeò factum est, ut eo authore maledictio hæc vobis immissa fuerit. Num faciem vestram suscipiet? Quod si illud vobis persuasum habeatis, fore ut nonnulli vestrum pecuniali quodam personæ quam geritis amore ductus, gratuitò aliquid remittat, & scelerum vestrorum animaduersioni supersedendum sibi putet, aliorum rem accipitis atque debetis: personarum enim apud eum ratio nulla habetur, minoribus nequaquam corruptitur. Jonathan hoc ita vertit: An ora vestra accepta illi erunt? Onkelus eodem modo verba illa reddidit, quæ Deuteronomij 10. leguntur: Qui non respicit personam: apud quem non est oris aut personæ acceptio.

ceptio. Neque enim par fuerit aut rationi cōsonum, huiusmodi personarum acceptiōem inter attributa Dei enumerare.

Adhæc, quis ex vobis ostia claudat? num verò in ara mea gratis incenditis? Non est mihi in vobis beneplacitum, dicit dominus exercituum: neque acceptum habeo munus ciborum de manu vestra. Etenim ab ortu Solis ad occasum eius usque, magnum est nomen meum inter gentes, & in omni loco nomini meo incensum atque mola pura afferatur, quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit dominus exercituum.

Nemo vestrum est, qui non à me mercedem capiat laboris sui: quibus verbis intelligit decimas omnium frugum, & alia stipendia, quae Leuitis ac sacerdotibus persoluebantur.

Per cultum veteris legis intelligit cultū nouę: nempe sacrosanctam eucharistiam aliāq; sacramenta, & preces fidelium: vestra, inquit, oblatione immunda est, ô Israēlitæ, locus eam mihi non commendat, quum persona ingrata fuerit, quod vt intelligatis, prædico vobis aliquando futurum, vt in omni loco etiam à gentibus oblatio mihi munda offratur, vt in cæremoniis Christianorum, ubique nomine meo incensum adolebitur, &c.

Gentes honorem mihi debitum exhibent, & vos vestri non pudet? qui blasphemis & illegitimis victimis nomine ac cultum meum quātum in vobis est, quotidie polluitis.

Ex vobis, inquam, perditis & sceleratis. Quām vellem vel unum aliquem inter vos reperiri, qui diligent secum & accurata ratione eiusmodi rerum subducta, quæ ad sor didas istas victimas pertinet, fores etiam atrij occluderet, ne quis eas introduceret: præstiterit enim nullā prorsus victimam quām abiectam vilēmque offerri. Num verò in ara mea gratis incenditis? Hebraica ita sonant: Num gratis aram meam flamma perlustratis? eadem nēpe signi

y ficatione,

COMMENTARII KIM HI

sificatione, qua Esaiæ 27. legitur: Mulieres venientes inflam-
mant eam. Intelligit porro nequaquam eos vel ignem ad
aram gratis accensuros: ac proinde è victima, quam ibi of-
feretis, nec vobis, inquit, nec adductoribus aliquid gratiæ
aut benevolentiae accedet. atque hoc illud est, quod ait: non
est mihi in vobis beneplacitum. Mala enim sunt, qua
à vobis perpetrantur, & munus quod offertis, nihil in se gra-
tiosum habet, omnino mihi non arridet: tantumque abest,
ut illegitimum ac minus idoneum & qui bonique consulam:
ut vel legitimum quidem ac probum, gratum tamen omne
non foret. Nec vos, nec munera vestra mihi cordi aut oble-
ctameto esatis. Etenim ab ortu Solis ad occasum eius.
Quæ terra ab orientali plaga ad occasum usque protendi-
tur, est ea quidem tota hominum habitationi accommoda:
non itidem quæ à septentrione meridiè versus tendit, quip-
pe quæ uniuersa commodum ponendis sedibus locum non
habeat. Magnum est nomen meum inter gentes. Li-
cet enim potentissimi eiusmodi, quæ in cælo visenda conspi-
ciuntur, cultum deferant: me tamen primum rerum omnium
authorem fatentur. & idcirco (quæ est hominum illorum
opinio) easdem venerantur, ut sequestris loco inter me atq;
ipsos fungi possint: unde & illum (inquiunt maiores nostri)
Deum Deorum vocauerunt. Et in omni loco nomini
meo incensum atque mola pura affertur. Si illis tale
quidpiam in mandatis dedisset, quale à me vobis impera-
tum fuit, næ illi iam dudum incensa & victimas nomini
meo obtulissent: idq; adeò non impura, & quæ nullius sint
pretij sacrificia, qualia vestra habentur, sed munda & in-
tegra lubenter impertiissent. Aut hic erit sensus: Quanuis
re ipsa idolatriæ studiis addicti sint, in ea tamen opinio-
ne

ne versantur, ut existiment meo nomini se cultum eum deferre.

At vos prophanaстis ipsum, quum dicitis: Mensa domini inquinata est, & prouentus eius nempe cibus eius vilis.

Polluere nomen domini est non obedire præceptis eius, & aliud facere, quam quod præcepit.

Contrà quam ab ethnicis hominibus fieri assolet: quippe qui nomen meum in honore habeant, & magnis laudibus prosequantur. Accedit huc, q[uod] cum ista improbitate alia etiam maior polluendi ratio coniuncta sit, nempe cum vulgo apud vos dici soleat, mensa domini inquinata est: id est, (ut superius interpretati sumus) nullius pretij, & contemptibilis. prouentus eius. Hebraica dictio quæ hic occurrit, Niuō, pro sermone eius (videlicet sacerdotis qui sacram facit.) perinde hoc loco, atque Esaiæ 57. accipi debet, ubi fructus, id est, sermonis labiorum meminit. Et quid tandem illud erat, quod assidue in ore habebat? nimirūm cibus eius vilis. quasi panem ad altare oblatum dicat. Cibus porrò eius (nempē sanguis & adeps) pollutus est & nullius pretij. Sunt qui prouentum ac fructum interpretentur: Jonathan ita reddidit, vilescit cum ipse, tum munera quoque ab eo profecta contemptibilia sunt.

Dixistis autem: En defatigatio, & anheli isto estis, dicit dominus exercituum. Infertis quoque quod rapturn est, quod claudum & infirmum est, adducitisque molam. Num ea mihi placebit è manu vestra? dicit dominus.

Inuehitur iam in Israëlitas qui victimas ipsas adducebant. Talis, inquit, solet esse oratio vestra, quum pecus à vo-

y ii bis

COMMENTARII KIM HI

bis in atrium allata fuerit. En defatigatio. perinde ac si diceret: Soletis adducto sacrificio singuli alius alium ita alloqui : oh quam ego defessus sum, quam defatigatus, feren- da hac pecude, in humeros sublata, illud interim verbis suis innuens, pecudem eam crassam esse & bene curata cute. Et anheli estis. vel contemptim potius in paumentum excutitis: quæ sensum & Jonathan secutus est, repellitis, inquiens, illud. Quale quid Exodi 14. legitur de eadem verbi huius significatione: Et præcipitauit dominus Agyptios, id est, repulit & contemptim abiecit. Alij in eum sensum interpretantur, quo illud Iobi cap. 11. dicitur: Afflictio animæ. ita ut anxietatem quandam mentis & contractum dolorem significet, tantundem ac si dicat: efficitis ut is, cuius pecus illa fuerat, furto vestro ablatae pecudis iacturam æger- rimè ferat: nam furto eandem subduxistis, ut ex ipsius verbis constat, quibus ait: Infertis quoque quod raptum est. Cæterū pater, idem ac dominus meus (venerandæ mibi memoriae) vocabuli significationē in eum sensum interpre- tatur, quo illud Esaiæ 54. dicitur: Ego creavi fabrum, qui flatu carbones incendit, nempe ut sententia ita se habeat: Aiunt illi quidē multum se laboris insumpsisse, ad laſtū- dinem usque ferendo sacrificio laborasse, quod humeris im- positum adduxerint, perinde ac si pingue & crassum dice- rent: quum res interim contrā planè se habeat. Est enim re- vera tenui admodum cute, & adeò præ strigore contracta pelle, ut vel anhelitum duntaxat oris sustinere non possit, quin solo statim æquetur & pessum eat. Jonathan ea verba en defatigatio, in hunc modum reddidit: En quod ex la- bore & defatigatione nostra adduximus, &c.

Execratus est qui dolo malo agit, qui quum in
grege

grege suo masculum pecus habeat, vitiatum domino
vouet ac mactat, quoniam rex magnus ego sum, di-
cit dominus exercituum, & nomen meum terribi-
le est in gentibus.

Nokel Hebraicè dicitur, qui malum animo versat: &
astutè sese gerit in rebus administrandis: eadēque verbi
significatio in secunda coniugatione, cui dages imprimitur,
Numerorum 25. occurrit, ubi insidiarum mentio fit: Quas
Madianitæ, inquit, insidiosè vobis tetenderunt in negotio
Peor. Itidem Genes. 37. Fratres Ioseph callidè machinati
sunt ei necem. quem locum Chaldaica paraphrasis ita ex-
pressit: dolo eum & insidiis interficere statuerunt. Quum
in grege suo masculum pecus habeat. Masculi no-
mine perfectum & integrum intelligit, omisso nomine ad-
iectivo, quum res satis ex se constet: ut Esaias: Sicut lana,
inquit, erunt: id est, lanæ in morem alba reddentur: ea enim
alba est: cuiusmodi alia pleraque loca occurrunt. vitiatum
vouet ac mactat. Voti idcirco meminit, quia sacrificij ge-
nus quoddam est, quod quum sponte & ultero facienda rei
sacræ conueniat, in voto persoluendo nequaquam locum
habere potest. verbi gratia: Si quod animal monstrose
deforme fuerit, contractum: & id genus alia. Quocirca
quum voueritis, inquit, etiam ut voto concepto satisfacia-
tis, vitiatum adducitis. vitij porro nomine, macula qua-
piam infectum animal intelligit. Eius autem signifi-
cacio ad corruptionem exprimendam pertinet: & que ac Leui-
tici 22. quum ait: Eo quod corruptio eorum sit in eis, nisi quod hic
ad verbi naturam accedat, illic nominis formam gerat.
Quoniam rex magnus ego sum. Qui ergo fit, ut vos
me neglectui habeatis? Et nomen meum terribile est

y iij in

COMMENTARII KIM HI

in gentibus. quum vos interim p̄a ceteris vnicē mihi
chari atque dilecti, nulla mei religione, nullo prorsus metu
teneamini.

Caput 2.

Nunc igitur ad vos mandatum hoc ô sacerdo-
tes. Si non audieritis, nec applicueritis cor vestrum
vt colatis nomen meum, dicit dominus exercituū,
mittam in vos execrationem : maledicámq; bene-
dictionibus vestris: quin maledixi illi quòd cor ve-
strum non applicuistis.

Hortatur sacerdōtes ad legitimè obeūdum munus suum, & ad re-
ligionem, vt hostias mundas offerant: alioqui pœnam non resipiscen-
tibus interminatur.

Maledicam benedictionibus vestris. i. iis quæ nūc meis benedictio-
nibus possidetis: ignominiosos & contemptibiles vos reddam: & effi-
ciam vt solennitatum vestrarum gaudia in luctum vertantur: ciūsque
ignominiaz ac luctus causa non alia erit, quām iniquitas vestra.

*Ad vos, inquit, ô sacerdotes, vitiati illiusmodi sacrifi-
cij receptatores, quod ab aliis adducitur. Fuerat scilicet of-
ficij vestri, hoc illis interdicere, atq; admonere, ne quaquam
huiusmodi munus idoneum aut par esse, quod me p̄sente
immolaretur: quemadmodum & lege ipsa interdicitur.
Mittam in vos execrationem, in utrosq;, tam qui ad-
fertis, quām qui approbatis. benedictionibus vestris,
quas ab eo iam inde tempore vobis impertitus sum, à quo
templi structuræ manus admouisti: de quibus alias. Sensus
huiusmodi fuerit: Quandoquidem parua mei ratio apud
vos habita est in his, quæ ad sacrificia vestra pertinent, ego
conditionem quoque rerum vestrarum sūsque déque inuer-
tam: & prosperis aduersa commutabo. Quin maledixi
illi. Imò & iam dudum, inquit, beneficij prioris loco male-
dictionem*

ditionem immisi, postquam illiusmodi oblatis victimis honorem meum laesistis, & pergam adhuc idem facere, nisi vos aures diligenter mihi aduerteritis.

En ego increpabo vobis semen, & spargam sterlus in facies vestras: stercus, inquam, dierum vestrorum solennium, tollentque vos ad se: tum scietis quod ad vos mandatum istud miserim, ut esset fœdus meum cum Leui, dicit dominus exercituum.

Increpandi vocabulum euersionem ac cladem immissam significat: ut Psalmo 9. Increpasti gentes: id est, euertisti. Vobis, tantundem innuit, ac si dixisset, causa vestra, vestroque nomine. Et spargam stercus. Quum primò stercoris meminerit, ipse postea sui interpres addit, stercus solennium dierum vestrorum, nempe agnorum. Solennium enim dierum nomine, animalia quæ offeruntur, vulgo appellari solent: quod idem fit Psalmo 118. Alligate, inquit, diem festum, id est, victimam funibus ad cornua altaris. Itidem Esaiæ 29. Festi dies euertentur. Exodi etiam 23. Non per noctem adeps celebritatis meæ (nempe victimarum quæ mihi immolantur) usque manè. Quod autem solennium dierum nomen sacrificio attribuatur, id ex eo profectum videtur: quia quum festus dies agitur, plurimæ victimæ immolari soleant. Sententia porro, quam illis verbis exprimere voluit, in hunc modum se habet: Quemadmodum vos inter sacrificandum nullam prorsus honoris mei rationem habuistis, ita & ego summum vobis dedecus ex eodem illo sacrificio inuram. Etenim quod in animalibus abiectissimum fuerit, putat stercus & alii demissio, eo vobis ora oblinam: quasi dicat: Evidem efficiam ut per summum dedecus ignobiles & abiecti vitam trahatis,

COMMENTARII KIM HI

batis, præ magna annonæ caritate & fame, nempe vastitate semini per me inducta, quod in sementem à vobis expostum erit. unde adeò rei frumentariæ desiderio laborabis: & pudorem vobis incutiet rerum vestrarū status apud gentes, quæ vobis vicinæ erunt. Pudebit enim eos sui, quo tempore famæ grassabitur: quemadmodum Ioél. 2. dicitur: Saturabimini, nec permittam ultrà, ut sitis probrum gentibus, &c. Næ vobis hoc eueniet, ut ignobiles prorsus & contumeliis obnoxij viuatis, hand aliter ac si stercore uobis ora obleuißem. Tollétq; vos ad se. Improbitas illa uestra ignominiam hanc uobis conciliabit: par pari referetur, ut uulgo dici solet: uos me contemptui habuistis, & ipsi uicissim iam contemnemini. Jonathan sententiam ita reddidit: En ego redarguam uos quoad prouentum triticeæ sementis: & transferā ignominiam scelerum uestrorum in ora uestra. Finem imponam magnificentiæ celebritatum uestrum: præripientürque dimensa uestra ab ea, &c. Ut esset fœdus meum cum Leui. Non alio nomine ista omnia à me uobis præscripta sunt, quam ut summa mea cum uoluptate fœdus illud inconcussum ratumque maneret, quod cum Leuitica familia olim iniui.

Fœdus meum fuit cum eo: vitæ scilicet & pacis: dedique ei ea. timorem ut me metueret, metuque nominis mei paueret. Lex veritatis fuit in ore eius, nec fuit deprensa in labiis eius iniquitas. In pace & rectitudine mecum ambulauit, multosq; ab iniuitate auertit. Etenim labia sacerdotis custodient scientiam: legemque ex ore eius requirent: legatus enim est domini exercituum.

Hoc facitis sine ullo maiorum exemplo, degeneres prorsus, & Aaroni

Aaroni longè dissimiles.

Cum eo, nempe cum principe, & antesignano eiusdem familiæ: ut sacerdotali munere fungeretur, putà cum Aarone, ter sancto illo pontifice, & Phinee: qui ardenterissimo erga Deum quem colebat affectu totus flagrabat: de quo Numerorum 25. legitur in hanc sententiam: *Habebitque tam ipse quām semen eius post ipsum fædus sacerdotij perpetui, eo p., &c. Quin & vitam diutinam eidem imperitus est.* Vixisse enim eum annos supra trecentos comprehendimus: idque adeò secundum eius sententiam, qui Phineem Eliam nequaquam esse existimet. Nam ea ætate superstitem eum fuisse constat, qua celebris illa Leuitæ cœcubina apud Gabeonitas fuisse legitur, quemadmodum habetur Iudicū 20. in hæc verba: *Et Phinees filius Eleazari filij Aaronis stabat in conspectu eius illis diebus.* Agebat porro id temporis supra trecentesimum ætatis suæ annum. Et dedi ei ea. vitam nimirum & pacem ei concessi, religionis & timoris causa, quo me prosequebatur. Metu nominis mei paueret. Radix verbi (quod hic Hebraicum habes ex ordine duplicatorum Hathath) significat animo eum percussum & contritum fuisse: grauitérque præcordia illi lancinasse diuini nominis causam. Jonathan hæc ita redidit: *Dedique ei doctrinam legis meæ perfectæ: & me pariter ac nomen meum religioso timore coluit.* Lex veritatis fuit in ore eius. *Quemadmodum in lingua promptam legem domini habebat* (utpote quām plurimos edocebat) ita & corde reconditam eandem gerebat. Eiusmodi verò lex veritatis propriè dicitur, quum non aliud ore exprimitur, & aliud intus in corde latet. Atque eodem etiam spectat quod ait in labiis eius non fuisse deprehēsam iniquitatem.

COMMENTARII KIMHI

In pace & rectitudine mecum ambulauit. In pace,
quia arctissime mihi adhaeserit: ut voluntati meae per omnia
satisfaceret: in quem sensum & illud ab Esaiā dicitur, ca.
27. Quis compellat fortitudinem meam, ut pacem mihi fa-
ciat, pacem mihi componat? In rectitudine. In rebus enim
humanis obeundis recte se gesit. Atque haec illa duo sunt,
in quibus mecum ambulauit. Huiusmodi porro mihi adlu-
bescunt & cordi esse solent, nempe ut pietati, iudicio atq;
iustitiae in orbe locus concedatur. Multosque ab iniqui-
tate auertit. Quia quum assiduum operam suis diuina le-
ge instituendis nauaret, ex eo factum est, ut complures illi
dicto audientes fuerint, quos ille hoc pacto ab improbitate
ad virtutem revocauit. Etenim labia sacerdotis custo-
dient scientiam. Id enim uero cuique sacerdoti consentan-
tium maximè foret, ut labia habeat instructissima cogni-
tione rituum eiusdemodi, quos lex obseruandos præcipit.
quò videlicet eosdē pro eo ac lex ipsa iubet, Israëlitas edo-
cere posset. Leuitici enim 10. scribitur: Ut doceas filios Is-
raël omnia statuta quæ dominus ad eos per Mosem loqui-
tus est. Itidem Deuter. 33. Docebunt iudicia tua Iacobum,
& legem tuam Israëlem: quo circa ex ore eius Israël legem
requiret. Legatus est enim domini exercituum. eo no-
mine à Deo Opt. Max. emissus, ut Israëlitas sententiae
mentisque diuinæ certiores faceret. Legati verò loco, Iona-
than huiusmodi verba posuit: quia ministerio fungitur &
pud Deum, copiis undique instructis potentissimum.

Vos autem recessistis de via, & offendiculo po-
sito multos in lege impingere fecistis, & corrup-
stis fœdus Leui, dicit dominus exercituum. Red-
dam ergo ego & vos cōtempitos & abiectos coram
omni

omni populo, quòd vias meas non custoditis, faciesque in lege recipitis.

De via, id est, de moribus eorum sacerdotum qui prima illa etate fuerunt. Multos in lege impingere fecistis. ex aduerso ei opponitur quod superius aiebat, multos ab impietate auertit. Et corrupisti foedus Leui, quod cum illo scilicet initum fuit, ut ipse supra testatus est. Reddam ergo vos contemptos & abiectos coram omni populo: quemadmodum me contempti habuistis, ita & ego efficiam ut vos contemnamini, idque adeò ab illis ipsis è vulgo, quorum persona vobis grata & accepta fuit, quo rūmque reprehensioni supersedendum putastis, ut vestri nominis studiosos eos haberetis, illis, inquā, præsentibus contemptissimos vos reddam, pro eo ac vulgo apud homines dici solet: mendaciorum testes nihil quam contemptum præ mij sui loco reportare. Quòd vias meas nō custoditis: Talionis planè lex huiusmodi fuerit: & à vñtæm vñtæm. vos honorem meum neglecta præceptorum meorum obseruatione læsistis, & ego itidem ludibrio vos & contumeliis afficiendos propinabo. Faciesque in lege recipitis. personarum rationem habetis, præsertim magnatum: ea etiam in re, quæ ad legem spectat: cuius illa verba sunt Leuiti. 22. Nequam ista offeretis domino. & quæ ibi sequuntur. Vbi illi tamen victimam maculis interspersam attulerint, metus vos impedit, quo minus eosdem reprehendere aut verbo tenus illis significare audeatis, prophanam eam & illegitimum fore.

An non pater vñus omnium nostrum? An non Deus vñus nos creavit? cur ergo quisq; cum fratre suo perfidè agit, polluēdo foedus patrū nostrorum?

COMMENTARII KIMHI

Quod si polygamiam hanc vestram maiorum exemplo defendere volueritis, Abrahæ, Iacobi, &c. toto cœlo h̄c erratis: non illi libidinis, sed sufficiendæ proliis causa plures uxores habuere: magis que probandum, ut multarum fecunditate vxorum v̄tatur quis propter aliud, quām ut viuis carne fruatur propter ipsam. Vide Augustinum libr. 3. de doct. Christian. cap. 12.

Conuersus deinceps propheta alterius cuiusdam sceleris reprehensionem agreditur, quod illis h̄c vitio vertit, quippe qui exoticas sibi uxores & à propria familia alienas adiunixerint, quemadmodum Esdræ libellus testatur. Quin & Israëliticæ uxori fuere qui post initum etiam matrimonium alienigenam adiungeret, ei potiores in amore partes deferrēt: huiusmodi itaque exordium capit, aitque: An non pater vñus omnium nostrum? Fratres enim uero sumus ad vnum omnes, eodem Iacobo patre nati, tam marres quām fæminæ. Quod si res ita se habeat, ecqua tandem ratione fit, quod ab alio in alium præterfas & æquum admittitur? Addit prætereà: An non Deus vñus nos creauit? perinde ac si diceret: Enim uero spem omnem atq; fiduciam nostram in vnum eundemque Deum reponimus: à quo vitam hanc hausimus, ab eo authore in rerum naturam producti: idemque longissime ab illorum Deorum similitudine abest, quos ethnici pro diis habent, unde vos, violato patrum aucto fædere, uxores vobis desumitis. Illius enim fæderis cōditio talis erat, ut nulla omnino uxori fraus fieret. Nam & Abraham communis ille generis nostri parentis, quanuis nequaquam è Sara liberos suscepisset, non eò tamen processit, ut alia sumpta uxore, iniquo cum ea iure ageret, donec ipsamet sua sponte verbis huiusmodi alloqueretur, Genes. 16. Ingredere quæso ad ancillam meam, si forte ædificer ex illa. & Isaac eodem modo (quem parentem itidem

itidem & authorem generis agnoscimus) uxori Rebeccae, quanuis sterili ac infæcundæ, aliam tamen non adiecit. Quin & Iacob eiusdem nostri generis propagator, non pro animi sui lubitu & arbitratu, prioribus nouas uxores adiecit, usque dum ille sponte & ultrò hoc ei liberum, concessa potestate fecissent.

Perfidè defecit Iehuda abominandūmque scelus in Israèle & in Hierusalem designatū est: quod Iehuda prophanauit sanctum domini quod diligit, & filiam alieni Dei vxorem duxit. Virum qui huiusmodi rem designat, qui author est, qui obsequitur, & qui adfert molam domino exercituum, è tabernaculis Iacob excindi iubet dominus.

In ipsa adeò urbe Hierosolymitana, qui locus est augustissimæ illius & sacrosanctæ ædis, nefarium hoc scelus & piaculum admittitur. prophanauit sanctum domini quod diligit. Vinculum illud mutuum & agglutinatio, quæ marito cum uxore intercedit, sanctu domini, id est, sacro sancti quidpiam est: unde Genes. 2. scribitur: Et adhaerabit uxori suæ. & quæ sequuntur. Quin & Israëli idem in mandatis datum fuit, ut sancte & integrè se gererent. Sancte porrò & integrè se gerunt, qui non temere, ethnorum hominum more, impuras manus obuiis quibusque fæminis iniiciunt: & Leuit. 19. dirarum imprecationi finis & epiphonema huiusmodi apponitur: Sancti eritis, &c. Cætus quoq; Israëliticus sanctitas appellatur, ut constat Hieremiae 2. Sanctitas domino Israël. quam illi tamen rem Deo dicatam, nempe filiam Israëlidem vide quomodo polluerint, exteris & peregrinis uxoribus inductis. Atque hoc illud est, quod ait, & filiam alieni Dei vxorem duxit.

COMMENTARII KIMHI

quasi fœminam dicat idololatriæ studio addictam: ut antitheticās opponi videatur ei quod suprà dixerat: An non Deus unus creavit nos? Ex sententia verò maiorum nostrorum qui locum hunc interpretati sunt, affinitatem quādam sibi cum idololatria contraxit quisquis cum ethnica & barbara fœmina rem habuerit: quemadmodum hic scribitur: Et filiam alieni Dei uxorem duxit. Idoli verò filia aliud nequaquam est, quām ethnica & barbara fœmina, cuius hic congressu fruitur. Vigilantem & respondentem: id est, ad internacionem usque: ita ut nemo quisquam ex eius familia reliquias ac superstites fiat, qui nominatim vocanti respondeat. Vigilans mortuo nempe dormienti opponitur: pro eo ac Psalmo 13. dicitur: Ne forte obdormiam in morte. Itidem Iobi 3. Nunc dormirem: sic enim quietus agerem. Jonathan pro vigilante & respondente, filium, & è filio nepotem verit. Maiores porrò nostri in hūc sensum ea verba interpretantur: Si disciplinæ sapientiæque studiosus indagator extiterit, non erit intersapientes qui studiose ei auscultet, aut inter discipulos, qui eidem respondeat. Quod si sacerdos ille fuerit, nequaquam filiū hæredem habiturus est, qui defuncti patris loco victimas domino immolatus sit: fuerūt enim etiā intersacerdotes, qui peregrinis uxoribus admiscebātur, & què ac Esdræ libell. testatur.

Deinde & hoc adiicitis ut lachrymis, fletu & gemitu aram domini oppleant, ne vtrà respiciat ad munus cibarium, neq; munus è manu vestra acceptū ferat: dicitis autem, quamobrē? eo q; dominus testatus est inter te & inter vxorē, quā in adolescencia tua tibi despōdisti: in quā tu perfidè agis, quum ea sit consors tua & vxor fœdere tibi iuncta.

Quum

Quum prius in ipso statim initio contemptus eiusmodi qui ad altare spectet, mentionem fecerit, ubi de maculoso agebatur, iteratò iam aliud, inquit, in idem altare admittitis. quippe qui in causa estis, quòd lachrymis, fletu & gemitu ara dominica oppleatur, interim dum Israéliticæ vestre uxores, lachrymabundæ, me vidente ad altare sese recipiunt, immanis illius sceleris ac flagitiij causa, cuius vos erga easdem authores estis: quum barbaras priori matrimonio adiicatis, & has quidem charas, illas verò inuisas habetis. Eccas vobis uxores vestras, ora me intuente lachrymis & suspiriis oppletas, ipsum adeò altare suo fletu tantum non onerates. Ne vltrà respiciat ad munus cibarium. æqui bonique ratio postulat, ut nequaquam deinceps vel aspectu solo vestra munera ad aram oblata dignari debeam. Etenim victimæ quam ibi immolatis, maculis quibusdam interspersa, & furto ablata conspicitur. Accedunt uxorum quoque vestrarum lachrymæ, vestra erga illas per immane facinus admissæ fraudis testes. ac proinde nequaquam rationi consentaneum est, ut ego munera vestra æquis oculis intuerer. Neq; munus è manu vestra acceptum ferat. quod gratum mihi ac vobis aliquando usui esse possit. Dicatis autem, quamobrem? Quòd si dicere, inquit, volueritis, qua id tandem ratione fit, quòd uxorum nostrarum causa nobis impedimento foret, quo minus ad oblata munera nostra respiceret, in promptu statim responsio fuerit. eo quòd dominus testatus est inter te & inter vxorem. Ille testis inter te illámque medius intercedit, ille optimè nouit eam tibi nequaquam cordi esse, non esse propensam tuam erga illam voluntatem, breuiter ipse testari potest, quam iniquo iure cum ea agas. quam in ado-

COMMENTARII KIM HI

in adolescentia tibi despondisti. Fuit, inquit, ea consors tibi adiuncta, iam inde statim à prima incunte adolescentia. Possunt & hæc ita intelligi, ut duo simul expressisse videatur, in hæc sententiam: Consors est illa quidem & sodalis tua, quāvis tenera adhuc aetate nequaquam tibi coniugio copulata. Quanto ergo iam æquius fuerit, ut in adolescentia coniugem tibi delectam, vechemētiori amore prosequerere? nedum pro respecta haberes, quale quid & apud Esaiam occurrit, ca. 54. Dominus, inquit, vocabit te veluti fœminam iuuentutis, quum spernitur. Pergit deinde propheta, & ait: Vxor tibi foedere iuncta. Quo enim tempore eam tibi uxorem duxisti, foedere inter te atque illam inito testatus es eam tibi uxorem futuram, siue iuuenibus annis, siue post id aetatis coniugem delectam. Iam vero (quæ tua immanis improbitas ac scelus fuerit) aliam tibi uxorem adiunxit, eamque adeò barbaram & exoticam. Quod si ex Israëlitica familia oriunda foret, consuetudo fortassis illa uxorem uxori adiungendi, plurisque sibi fœminas matrimonio copulandi (si ita ferat libido) non inusitata videatur. Ceterum quum tu tibi barbaram atq; alienigenam uxorem summo scelere adhibueris, nihil hic iam reliqui fit ad extremam improbitatem, nempe ut ea praesente atque adeò rem omnem coram intuente, in re familiari administranda, atque herili imperio altera illa vel æquali, vel meliore fortasse conditione, quam ipsa potiretur. Itaque non temerè, sed æquissimo iure fit, quod uxores vestre lachrymis contra vos apud Deum causam suam agant.

An non & unus hoc fecit, in quo excellens fuit spiritus? quid vero unus ille fecit? quarebat semen Dei.

Dei. Vos igitur quām chara est vobis anima vestra,
cavete ne in uxores quæ vobis in iuuentute vestra
desponsæ sunt, perfidi sitis. Qui odio habet, dimit-
tere potest, dicit dominus Deus Israëlis. Num ergo
violentia vestimento suo teget? dicit dominus exer-
citum. Cavete ergo quām chara est vobis anima
vestra, ne perfidi sitis.

Hoc quidem in lege propter duritatem cordis vestri indultum est: ut
si quis uxorem odio habeat, dato libello repudij, eam dimittat: vos au-
tem odio amorem prætexitis, nec datis libellum repudij. De eo vide
quid in euangelio Matthæi præscribat Christus, cap. 5.

Abraham, inquit, ille unicum suæ etatis exemplum,
& qui posteris suis pietate tanquam parens præluxit, non
ita ut vos se gesit: utpote qui libidini nequaquam indul-
serit, nec carnis explendæ causa matrimonium inierit, sed
eo potius animo & fine, ut prolem verè piam & à Deo si-
bì promissam, mundo superstitem relinqueret: perinde ac si
à Deo Opt. Max. imperatum ei diceret, ut semen aliquod
relicuum sibi faceret: quemadmodum Gen. 1. dictum erat:
Crescite & multiplicamini. In quo excellens fuit spi-
ritus. Erat, inquam, ille quem iam diximus, eximiis animi
virtutibus præ ceteris imbutus: unde verisimile fuerit,
haudquaquam eum carnis aliqua voluptatula adductum
fuisse, nec alio nomine uxorem duxisse, quām ut prolem ex
præcepto susciperet, augeretq;. Ceterum pater, idem ac do-
minus meus (cuius lubenter hic à me memoria colitur) ver-
ba illa quasi à populo prophetæ dicta interpretatur, & cum
admiratione prolata, in hanc sententiam: Abraham, in ist
populus, annus ille noster, sacrosanctæ memoriae, unus ille
multorum in star, an non eodem modo se gesit, quo nos ho-
die res nostras administramus? nempe ut quanuis summis

A alias

COMMENTARII KIMHI

aliás animi dotibus præditus, & propheta, dimissa ta-
men uxore, Agar ancillam sibi adiunxerit? Respondet
vicissim propheta: Quid verò vnuis ille fecit? quæ-
rebat semen Dei. quasi ita diceret: Enim uero quo tem-
pore Agar ancillam sibi adhibuit, non alio id ab eo nomine
factum est, quam ut prolem susciperet, ab uxore Sara ne-
quaquam sibi suppeditatam. id quod tametsi ita se habe-
ret, uxori tamen Saræ nequaquam iniuriam fecit. Accesit
enim ad id quod tum temporis gerebatur, eius & voluntas & authoritas. Ac proinde vobis iterum atque iterum
cauendum fuerit, imò ne vitæ quidem periculo commiten-
dum, ut mala quisquam fide cum uxore sua agat, quam à
primis adolescentiæ suæ annis uxorem sibi delegit, ne mis-
sam eandem faciat, ut postea idololatram inducat. Quod
deinde subiungitur, in quo excellens fuit spiritus, ita
accipi debet, ut schear Hebraica dictio, eminentiam ex-
cellentiāque significet: qui sensus est & illorum verbo-
rum, quæ Genes. 49. leguntur. Excellens dignitate, & præ-
cipius robore. Quemadmodum enim Hebraico vocabulo
iathar, significatio utraq; tribuitur, tum eius quod super-
est, tum quod dignitate, & laude aliis præstat: ita &
schaar utrunque significat, tam quod reliquum fit, quam
quod præstantiam atque eminentiam rei alicuius notat:
perinde ac si primas illi, nempe Abrahamo, quoad animi
dotes atque spiritualia munera verbis huiusmodi deferret.
pro eo autem quod Latinè legitur, ne perfidi sitis, in He-
braeo habetur, ne perfidus sit quisquam vestrum. Est e-
nim illud familiare scripturæ sacrae, ut uno eodemque loco
nunc secunda, nunc tertia persona utatur. Ionathan hæc
uerba ita expresit: An non unus quis extitit, nempe
Abraham:

Abraham: isque etiam solus & sine liberis, postea tam numerosa & prolixa author, ut orbis penè propagator dici possit, ecquid aliud unus ille quærebat, q̄ ut à Deo Opt. Max. filio auctus stabiliretur? Vide porrò quid huic eorum obiectioni propheta respondeat: acerrimè enim eos reprehendit, utpote qui præterfas & aquum agerent. Qui odio habet, dimittere potest: id est, si cui uestrum inuisa sit sua uxor, dimittat eam: quemadmodum in Chaldaea paraphasi habetur. Quod si odio illam habeas, dimitte eam: perinde ac si dicat, consultissimum fore, ut accepto à te libello repudij, ablegata, ad alium quempiam se reciperet, à quo in uxorem duci possit, & amari. Verum ut tu domi eadem, inuisam tibi, minimèque charam detineres, illud sanè sine magno scelere fieri non poterit. quò eodem & illud pertinet, quod mox ait, num ergo violentiam vestimento suo teget? finge enim ac simulat, amore se illam prosequi, & non aliter ei addictum esse ac uestis adhæreat corpori, quæ cuti proxima geritur, & exui non solet: unde adeò fit ut quanuis inuisam atque odiosam, aperie tamen repudiare nolit. Magna quidem hæc illa iniquitas est, quam uestimento suo tegit.

Defatigastis dominum sermonibus uestris. Dicitis autem: Quānam re defatigauimus? nempe quum dicitis: Quicunque malum facit, is bonus est in oculis domini, talibꝫque delectatur: aut vbi est Deus iudicij?

Metaphoricos loquitur, & humano more. Nulla enim defatigatio aut laſitudo in Deum Opt. Max. cadit. aut vbi est Deus iudicij? Alioqui si res ita se non habeat, ut iam diximus, nempe si Deo minimè gratus aut acceptus

A ij fuerit,

COMMENTARII KIMHI

fuerit, qui scelus aliquod perpetravit. ubi est Deus iudicij?
cur instant de huinmodi hominibus pænam non exigit?

Caput 3.

Ecce ego mitto legatum meum, qui complanabit viam ante me: subitoque ad templum suum veniet dominus ille, quem vos quæritis, & legatus fœderis quo vos delectamini: ecce venit, ait dominus exercituum.

Prædicitur Christi primus aduentus, cui viam strauit Iohannes Baptista. Ita enim Christus hæc verba interpretatur, Matth. II.

Si pænam, inquit, de improbis ac sceleratis hominibus in præsentiarum, dum hac luce fruuntur, sumendam efflagitas, veniet quidem opportunum aliquando eius sumenda tempus: id quod vobis etiam videntibus fiet: eodemque illo tempore iudicium de vobis exercebitur, ut quotquot improbè se gesserint, è medio prorsus vestri tollantur. Hoc enim uero tum accidet, quum legatum meo nomine ad vos emisurus sum, qui viam mihi præeundo sternat: quibus ille verbis angelum domini cælitus demittendum intelligit, quem admodum Deuteronomij 23. dicitur: Ecce ego mitto angelum meum ante te, qui custos tibi futurus sit in via. & quæ sequuntur: Qui complanabit viam ante me. Quod hoc loco dicitur, eo tempore usuueriet, quo exules ab exilio in unum coituri sunt, nempe ut nemo illis aduersarium se opponat, nihil aduersi in itinere accidat. Subitoque ad templum suum veniet dominus. quoniam tēpus illud ultimum non satis perspicue cognitū habetur, nec apud Daniëlem vlla certa verborum explicacione diserte exprimitur, subito, inquit, & ex improuiso veniet, ita ut nemo quisquam

quisquam mortalium quicquam de eius aduentu prius re-
sciscat, quam aduenerit, pro eo ac Danie.12. constat: Clausi
& signati sunt hi sermones usque ad ultimum tempus.
Dominus porro, cuius hic meminit, est ille quidem Mes-
sias: idemque angelus fœderis appellatur. Ecce venit: id
est, præfinito ac præscripto suo tempore veniet: qualis & il-
le modus loquendi est, qui Esaiæ 41. occurrit: Ego primus
sum qui dico hæc Sioni, ecce, ecce ipsi.

Quis verò diem aduentus eius sustinuerit? aut
quis quum se confaciendum præbebbit, consiste-
ret? Est enim veluti ignis excoquens, & ut borith
herba fullonum. Sedebit itaque excoquens & re-
purgans argentum: filios Leui emundabit, expur-
gabitque eos ut aurum & argentum. Tum domi-
no adferent sacrificium cibarium in iustitia. Gra-
tum erit domino sacrificium Iehuda & Hierusa-
lem ut retrò temporibus & prioribus annis.

Significat afflictiones quæ codem tempore excitabuntur: multæ
enim fuerunt in primitiva ecclesia, quibus pij homines explorabantur.
Ut enim sordes metallorum igne auferuntur, ita peccata afflitioni-
bus.

Deus grauiter peccantibus, si penitentiam non egerint, ignis con-
flans est, atque consumens: his autem qui leuia peccata committunt,
herba fullonum, ut lotis mundiciem restituat.

Ecquis illi diei ferendo erit, quo ipse in medium prodi-
turus est? Multis enim aduentu suo exitium & conflagra-
tionem adferet. Est enim veluti ignis excoquens: id
est, dies ille igni similis futurus est, quo scoriae argenti de-
fecari solent. Eodemque plane modo pij ab impiis discrimi-
nabuntur: & probi viri supererunt, improbis è medio sub-
lati: id quod Zachariae quoque vaticinio exprimebatur,

COMMENTARII KIMHI

cap.13. ubi aiebat: Traducam tertiam partem per ignem.
Et ut borith herba fullonum. Prædictus ille dies sapo-
nis instar futurus est: eius videlicet, quo fullones ad ablue-
das abstergendasque vestrum sordes ac maculas utuntur.
Sordes porro & maculae homines improbi dicuntur, ut
Hierem. 2. scriptura ait: Notis impressa est iniquitas tua
coram me, dicit dominus Deus. Sedebit itaque iudicis in
morem, qui throno sublimis insidens, ius populo dicere solet,
& causam insontis à fonte distinguere. Ita & dies ille ar-
gentum exploraturus est, illudque purum putum redditu-
rus, abstergens fecibus scorisque, nempe improbis & flagi-
tiosis hominibus. filios Leui emundabit. his verbis sa-
cerdotes intelligit: quorum hic sigillatim meminit, eò q̄ su-
periori capite grauiter in eosdem inuestitus sit. Tum do-
mino adferent sacrificium cibarium in iustitia. id
quod ab huius ætatis sacerdotibus non itidem fit, quemad-
modum superius dixerat, victimas eos maculis intersper-
sus obtulisse. Gratum erit domino sacrificium in Ie-
huda & Hierusalem. Ichudæ urbisque Hierosolymita-
nae potissimum meminit, propter ædem sacram quæ eo loco
sita erat.

Et appropinquabo vobis ad iudicium, erōque
testis festiuus contra maleficos, contra adulteros,
contra eos qui peierant, & contra eos qui mercena-
rium mercede fraudant, per vim & calumniam vi-
duam & pupillum opprimunt, & qui auersantur
aduenam, & me non timent, dicit dominus exer-
cituum.

Prædictur secundus Christi aduentus sub finem mundi, quo tem-
pore iudicium in omnes exercebitur: atque h̄c impiorum hominum

objectioni

objectioni respōdetur, qua sub finem superioris capititis interrogabāt:
Vbi est Deus iudicij? &c.

*Eo quod iam diximus tempore propriū ad vos accedam,
vobis inquit, tam qui ea ētate superstites eritis, quām qui
multis retrō sēculis fuerunt. Quod si fortè pœnam suis sce-
leribus dignam nequaquam retulerint, interim dum in hu-
manis agent, certa eos pœna manebit hac vita semel fun-
ctos. Testis. Nam & abstrusissima quæque mihi cognita
sunt: & talem me illis testēm præstabo, qualem eorundem
facta postulabunt. festiuus, ad præmium illis debitum re-
pendendum. qui auersantur aduenam: id est, qui pere-
grini causam iniquo iure opprimunt, authorēsque sunt, ut
ille causa cadat.*

Etenim ego dominus non mutor, & vos filij Ia-
cob nequaquam desistitis.

*Illud vobis persuasissimum habetote, cūentura ea omnia quæ præ-
dixi: comminatio mea firma est & verax, nisi pœnitentia ad me conuer-
si resipiscatis: id si fiat, conuertar & ego ad vos. Meā verò longanimi-
tati ac misericordiæ acceptum ferre debetis, quod antehac de vobis
pœnas minimè sumpserim. Ego hactenus vos seruui præter meritum
vestrum: etenim semper à statutis meis recessistis, &c.*

*Quod à me semel prolatum est, multis etiam post sēcu-
lis cūenturum, nulli omnino immutationi obnoxium eodem
modo cūeniet, quo à me prædictū fuit. Ego enim idem sem-
per persto, & verba itidem mea prorsus sibi constānt, im-
mutationis prorsus expertia. Quæcumque vobis olim cūen-
tura prophetarum meorum opera adhibita significauit, ea-
dem plane, eodemque etiam modo, quo prædicta sunt tan-
dem aliquando cūenient. Mutandi verbum quod hic oc-
currit, inconstantiam quandam significat: perinde ac si di-
ceret: Evidem verbis verba non commuto: non iam hoc,
iam illud volo. Et vos filij Iacob nequaquam desistitis.*

quemad-

COMMENTARII KIMHI

quemadmodum aliae gentes plerique iam esse desierunt: ne nominis quidem sui apud posteros relicta memoria, funditus deleta, adeo ut gentis amplius nomen minimè obtineat. Ceterum quod ad vos attinet, adhuc non interiistis: immo nec unquam futurum est ut intereatis: perpetuus enim vobis locus futurus est, etiam inter ethnicos homines versantibus, ut orbis una gressus cesseamini. Interim vero tametsi pa- sim & ubique locorum varie inter exilium disiecti habitetis, nominis tamen vestri fama nullum non locum occupabit. Mala quibus a me excepti estis, sunt ea quidem peccatis vestris accepta ferenda. Quemadmodum autem mea ipsius conditio stabilis est & firma, ita & vos ab interitu & internectione vindicabimini, ut ne proorsus intereatis. Fietque de veris Israëlitis intel- tadem sub ultimam hominum memoriam, ut in pristinum lige, quando dignitatis gradum restituti, ceteris omnibus superiores vnum fieri pa- euadatis, quotquot uspiam terrarum gentes reperiuntur. stor, & vaum ouile omniū. Chaldaeus paraphrastes haec ita reddidit: Siquidē ego dominus fædus meum iam inde a seculo non variaui: vos autem Israëlitæ existimatis sublatum esse eius iudicium qui in hoc seculo vita defunctus est.

A diebus patrum vestrorum a statutis meis recessistis: nec custodiuitis ea: conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, dicit dominus exercituum. Dicitis autem: Quānam re conuertemur? Num homo Deum adfigit? vos autem me adfigitis: & dicitis: Quānam re te adfigimus? In decimis & magnificis donis. Execratione execrati estis vos, & me vniuersi vos adfigitis.

Enumerat alia eorum scelerata, ac deinde proposita præmij spe ad pœnitentiam inuitat. Tantam, inquit, abundatiam bonorum omnium da-

bo vobis, ut illis capiendis defutura sint vasa & horrea.

Intelligit his verbis multum iam temporis effluxisse, à quo nec vos, inquit dominus, præcepta ac statuta mea obseruasti, nec à maioribus vestris religiose exculta fuerunt, unde adeò factum est, ut tam vos quād illos malis subinde mulctauerim. Quod reliquum iam est temporis, conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Dicitis autem. Quòd si vos ita viciſſim responderitis, estne adhuc aliud quicquam vitio nobis vertendum, præter ea, quæ hactenus oratione tua perstrinxisti? nempe ad sacrificandi rationem, & rem uxoriam spectantia, in promptu statim responsio fuerit. num homo Deum adfigit? Imò aliud, inquit, in vobis deprehenditur, quod non immerito maledictioni vos obnoxios reddat. Subiungit postea, & ait: Num homo Deum adfigit? vos autem me adfigitis. Deinde si interrogetis, inquit, ecquid illud tandem est, quo nos te adfigimus, respondetur viciſſim, in decimis & primitiis. Adfigendi vocabulum, quod sèpius hic occurrat, diripiendi, & inuito alicui rem auferendi significacionem habet: qualis eiusdem verbi usus habetur, Proverbiorum 22. Dominus vim illis faciet, qui animo illorum, nempe pauperum vim intulerunt. Ionathan ea verba in hunc modum vertit: Num ita se quisquam geret, ut iram sibi presentis iudicis concilieret: quoniam vos bilem mihi mouere non dubitatis: idq; etiam palam? Quòd si dixeritis, quānam in re bilem tibi mouemus? in decimis, inquit, & primitiarum oblationibus. Execratione execrati estis. Maledictioni uos obnoxios prædicta illa sclera reddideret: id quod superius quoque, cap. 2. exprimitur, ubi aiebat: Quin iam maledixi ei, &c. Peccatis adhuc peccata accu-

B mulatis:

COMMENTARII KIMHI

mulatis: & nūm mihi infertis, interim dum primitias & decumam rerum collectarum portionem non persoluitis. Quin & oratio uestra talis plerunque esse solet: An uero & quum fuerit, ut quum ille nobis pluuiam eripiat, maledictionēque immittat, nos eidem primitias ac decimas penderemus? Vniuersi vos. Verisimile videtur, superiora ea flagitia, quæ iam commemorata sunt, non omnibus communiter & ex aequo patuisse: ceterum huic culpæ de qua iam hic agitur, ad decimas primitiarumque rationem spectante, eos ad unum omnes obnoxios fuisse: atque idcirco gentis totius meminit.

Adducite omnes decimas ad domum, ubi reposatur, ut sit quod diuidatur in domo mea, atque in hoc periculum de me sumite queso, dicit dominus exercituum, si no aperuero vobis fenestras cœli, & benedictionem omnigenam vobis effundam. Increpabo vobis deuorantem, ne vastet vobis fructum telluris: neque sterilem reddat vobis vitem in agro, dicit dominus exercituum. Tum fœlices vos pronunciabunt omnes gentes, quia terra optata eritis, dicit dominus exercituum.

Vt sit, inquit, quod diuidatur in domo mea, id est, quod impertiatur Leuitis & sacerdotibus, qui ministerio apud me funguntur. Quin & pœniteat vos anteactorum scelerum: alioqui pœnas mihi alias adhuc daturi estis. Quod si primitias ac decimas obtuleritis, ita ut officij vestri ratio postulat, pluuiam ego vicissim vobis impertiari, tantaque bonarum rerum copia vos afficiam, ut illis capiendis non sitis: quæ verba ita interpretatus est pater, idem ac dominus meus, obseruanda memoriae, ut vasa vobis atque hor-
rea

rea defutura sint tantæ bonarum rerum copiæ capienda. Tæreph (ut ex interpretatione Chaldaïca patet) alimoniam victumque significat: & Ionathan eadem verba ita reddidit, usque dum dicturi estis, ehô iam satis, &c. Increpabo vobis deuorantem, locustam scilicet, frugum illam vastatricem. Neque sterilem vobis reddat vitæ: ne vitis inani spe fructus, expectationē vestram fallat, ne fœcunditatem mentiatur. Fœlices vos pronuntiabunt. Quum antea non sine summo dedecore atque infamia inter barbaros homines versaremini, pœnuria cauſa, quam execratio mea vobis peperit, tatis per dum illi obnoxij eratis, fœlices iam deinceps vos viciſſim ac beatos prædicabunt. Quia terra optata eritis: id est, fertilis & multarum frugum ferax, cuius loco Ionathan vertit, quia terram inhabituri estis, augustissimo meo nomini dicatam, & meæ voluntati per omnia ibi respondebitis.

Superant me verba vestra, dicit dominus, & dicitis: Quidnam contra te sumus loquuti? Dixistis: Frustrâ seruitur Deo. Quę enim utilitas, quod observationem eius obseruamus, & quod pullati coram domino exercitum incedimus? Nunc igitur beatos iudicamus arrogantes, quin & impietatem patrantes ædificantur, & qui Deum tentant seruantur.

Prouidentia Dei Opt. Max. & cura quam erga suos habet, statuitur. Eam primò impij quidam homines blasphemis verbis suggillant, argumento ducto ab externa huius vitæ felicitate, qua mali plerunq; fruuntur. Sed pij contrà futuram fœlicitatem ob oculos sibi proponentes, aliter de ea pronuntiant: & quę ac Psal 72. Regius psaltes testatur.

Iterum eos hoc loco verborum nomine reprehēdit, quippe qui affirmare non dubitauerint, haud ullum esse iudicio

B ij iudi-

COMMENTARII KIMHI

indiciue futuro locum. Quidnam sumus contra te loquuti? Crebra frequensque verborum eiuscmodi repetitio, quam saepius in ore habebant, passua voce Hebraice loco actiuè posita exprimitur. id quod idem Ezechielis 33. obseruatur, ubi aut: Et filii populi tui obloquuntur tibi. Dixistis. Sensus horum verborum satis ex se constat, & eorum itidem, quæ mox sequuntur. nunc igitur beatos iudicamus, &c.

Tum qui dominum timent, quisque ad proximum suum loquuti sunt. Attendit & audiuit dominus: & scriptus est commentarius coram eo timentibus dominum, & his qui serio cogitant de nomine eius: Hi erunt mihi, dicit dominus exercituum, eo die quo agam peculium, iisque parcam ut quispiam filio suo seruienti sibi parcit. Reuertimini igitur, & considerate quid intersit inter iustum & impiū, inter eum qui Deum colit, & eum qui eum non colit.

Superior enim illa oratio illiusmodi hominum fuerat, qui mores Dei Opt. Max. iudicaque eiusdem minime cognita habebant. Ea vero auditæ diuinæ prouidentiæ insciatione quoad res istas inferiores, religiosi pietatis cultores, alius alium mutuo alloquentur: & verbis inter se subinde repetitis, non prius desinent, quam ratiocinando collegerint, omnia æquissimo iure fieri, quæ à Deo administrantur, eum veracem esse, ab omni prouersus impostura & vanitate alienum. Attendit & audiuit dominus. Anmaduerit diligenter Deus Opt. Max. quibus illi verbis vterentur: & dignis eos modis aliquando verborum nomine habebit. Scriptus est commentarius coram eo paraboli-

parabolicas hæc dicuntur, & pro humano captu: quandoquidem apud reges plerunque commentarij in usu esse soleant, refricanda memoriae causa. Oblivio enim in Deum Opt. Max. nequam cadit. Similis est & ille loquendi modus, quem habes 32. Exodi: Expunge me quæso è libello quem scripsisti. Itidem Danielis 12. Quicunque inuenietur ascriptus in libro illo. Perpende vero mihi diligenter, quod hoc loco ait perpetuò se eos sartos tectosque seruaturum, qui religiose nomen ipsius colunt, & diligentib[us] illud cogitatione saepius euoluunt. De nomine porrò eius hi serio cogitare dicuntur, qui res à Deo Op. Max. gestas, certamque eiusdem numinis cognitionem assidua mentis ruminacione p[ro]fessant. Ipse enim à nomine suo non discrepat: eiusque nomen vicissim idem cum eo habetur. Timentes autem dominum, qui hoc loco commemorantur, ex sententia Rabbi Abrahami Esritis (cuius memoriam lubenter usurpo) probi viri æquitatisque studiosi intelliguntur. Deinde qui serio de nomine eius cogitant, sunt illi quidem homines cordati, ac sapientiae studiis addicti: quibus scilicet innotuit sacrosancti atque horrendi diuini nominis mysterium. hi erunt mihi, utriq[ue] tam huius ætatis homines, quam qui olim vita functi sunt, Dei timore ob oculos sibi præfixo: erunt, inquam, hi mihi eo tempore quo mortui viuis restituendi sunt. eo die quo agam: id est, quum iudicij exercendi dies aduerterit, quum de malis & improbis hominibus sententiam laturus sum, tum ego istos peculij loco habebo. iisque parcā: ne ad eos pertingere possit illiusmodi mali sensus, quo scelerati exhaustientur. filio seruienti sibi. Indulget quidem singulis filiis pater, ut Psalmo 103. dicitur: Sicut miseretur pater filiorum, &c. sed multò maior indulgentia cumu-

COMMENTARII KIM HI

lus accedit erga filium sua opera & industria patri inservientem. Reuertimini igitur. Experientia ipsa tum temporis edocebit, probo quid improbus interst, quantum discriminis sit inter utrumque: nec iam amplius tale quid in ore frequens habebitur. Quicunque malum perpetrat, is bonus est in oculis domini. Frustra seruitur Deo, &c.

Caput 4.

Quoniam ecce dies illa venit, ardens ut clybanus: tum erunt omnes arrogates, & omnis qui impietatem patrat, stipula, inflammabitque eos dies ventura, dicit dominus exercituum: adeo ut non relinquatur eis neque radix neque ramus.

Repetitio est extremi illius iudicij, quod aliquando sine dubio cœnatum inculcat, ut ad peccatum Israëlitas prouocet.

Mali eo tempore omnino sunt perituri: bonis Christus apparebit elemes ac mitis, gaudium ac latitiam his adferet: haud aliter ac sol iste visibilis luce sua tenebras pellit, ita & peccata eorum diuina misericordia condonabuntur, & sanabit eos (sunt enim re vera peccata mortis animæ.) Ceterum improbi funditus perdentur.

Iudicium illud, cuius superius mentio facta est, parabolicos cum igne ardente confert quod prius igni conflatorio assimilauerat. Stipula, inquit, erunt: hoc est, quasi stipula igni admota: brevissimo enim temporis spatio absumentur. Inflammabitque eos: quemadmodum Deut. 32. dicitur: Et inflammabit fundamenta montium. Neque radix, neque ramus: id est, nec filius, nec ex filio nepos: pro eo ac in paraphrasi Chaldaica exprimitur. Filius enim primo loco genitus, radicis, & ex filio oriundus nepos, rami instar habetur.

Vobis autem qui nomen meum timetis, orietur sol iustitiae, sanans radiis suis: exhibitisq; & pingues eritis

eritis ut vituli saginati. Et impios conculcabitis, qui puluis erunt sub plantis pedum vestrorum, eo die quo ego agam, dicit dominus exercituum.

Tempus, inquit, illud perditis & sceleratis hominibus cladem atque interencionem unā secum adferet. Cæterū religiose Deum timentibus, eodem illo die sol iustitiae obo riturus est: perinde ac si futurum dicat, ut malis omnibus defuncti, lātum eūdem ac hilarem diem summa cum oblatione animi agant. Radios solares alarum nomine expressit: eò quod lux à sole per uniuersum orbem quam latissimè propagari soleat: & emissus ab eo splendor ad alarum expansarum similitudinem accedere videatur: quem admodum Iocelis 2. dicitur: Sicut aurora expansa super mortales. Exibitisque, & pingues eritis. Quocunque locorum vos receperitis, res vestrae auctiores semper euadent, aliquid ad priorem molem crassitudinemque accederet: & què ac in vitulis bene saginatis fieri solet, qui obeso sunt corposa, & bene curata cute. Quum pingues eos futuros ait, magnam incrementi vim intelligit: quemadmodum & Hieremias, cap. 50. Quia excreuistis ut vitula pinguis. Itidem Habacuc 1. Equites eius multiplicabuntur. Marbec (quā hic Hebraicam dictionem habes) locus ille est, in quo vituli inclusi tenentur, saginandi causa. Conculgandi verbo quo mox uitur, prostratio quædam, & pedibus subacta contusio significatur: unde & potio illa, quæ conculationis adhibita vi exprimitur, Hebraicè Asis ab eadem raddice nomen sumit. Sententia tota ita se habet: Quod ad præsentem quidem rerum conditionem attinet, vos imperio ac potestati flagitosorum hominum obnoxij vivitis. Sed olim futurum est, eo nempe tempore, quod ego iam di-

Iudæus quia de terra est, terrena loqui xerit, illud tamen non ita accipi debet, ac si unus aliquis tur, terrena dies finem eorundem exitio ac pœnae allaturus sit, sed sene-
xpectat. Spiritualiter sim ac paulatim emarcescent, statoque tandem ac præscri-
ista intellige pro tempore penitus interibunt. Interim tamen quoad viui
da sunt, & ele ac superstites futuri sunt, piorum hominum pedibus obte-
&is accomo- dada: q Chri rendi, pro reieclitiis & nihil hominibus habebuntur. Eo
sti gratia vi- die quo ego agam: id est, ubi opportunum iudicio in
ctores serio eos exercendo tempus aduenerit, & ultima de illis senten-
triumphos a- gent in patria tia me iudice feretur. Cineris eodem loco parabolicas me-
cœlesti, &c. minit, eo quod dies ille iam olim euenturus, incendio eos
absumer perderque.

Mementote legis Mosis servi mei, quam ei in Horeb ad omnem Israëlem mādaui, rituum vide-
licet & iudiciorum.

Hortatur interim ad obseruationem diuinarum præceptionum, in Mose legem, in Elia prophetas significans. Decalogus enim etiam ho-
die à nobis obseruatur: ceremoniæ sublatæ sunt, iudicia partim reie-
cta, partim retenta.

Quoad dies, inquit, ille iudicio dictus aduenerit, faci-
te ne ullâ hominum memoria precepta Mosaica vobis ex-
cidat, quò factis eadem omnia exprimatis, quæ illis scripta
produntur. Quam ei in Horeb mandaui: eo, inquam,
Memineris Iudæū inter more, quem in monte Horeb prescripsi, non ita ut à nōnul-
pretem non lis dici solet, ad tempus duntaxat legem illam datam fuisse
Christianum in eum sensum quem nuda verba præse ferre videntur, ac
esse.

Animalis ho postea progressu temporis vētūrum, qui spirituali ac inter-
mo non per- no sensu eandem interpretaretur, quibus responsi loco esse
cipit ea quæ sunt spiritus poterit, quod in præsentiarum hīc edicitur.

Dei. En ego mitto vobis Eliam prophetam, prius
quām

IN MALACHIAM.

ter

quām dies domini magnus & terribilis veniat. Is
reducet cor patrum in filios, & cor filiorum in pa-
tres suos: ne veniam, & terram prorsus excindam.

Vnam eandēmque omnium fidem futurā p̄adicit sub finem mun-
di, patrum & filiorum, nempe ut posteri patriarcharum in Christum
seruatorem credant, in quem & illi crediderunt.

Ioannes Baptista ante primum aduentum Christi in virtute & spi-
ritu Eliæ venit, Matt. 11. Marci 9. Lucæ 1. & ante secundum aduentum
venturus est Elias, qui resistet Antichristo.

Terræ nomine homines terreni, & terrena sapientes intelliguntur.

*Quanuis ego mores vestros per omnem hominum etan-
tem praescripta lege Mosaica erudierim, quanuis, inquam,
ita res se habeat, Eliam tamen prophetam in rem vestram,
tanquam priori beneficio accessionem emittam. Quæ ver-
ba ita accipi debent, ut animus eiusdem, qui ad caelos euo-
lauit, corpori, prioris corporis formæ non absimili restituendus
intelligatur. Quod enim ad priorem corporis massam
attinet, quam olim habuit, est illa quidem terræ iam reddi-
ta: quo tempore singulis elementis singulæ suæ proprietates
accederunt. Atque huiusmodi quidem rediuiuo iam cor-
pori restitutum Eliam, legati nomine, ad Israëlitas emit-
tet, priusquam iudicij dies aduenerit. Dies porro ille domi-
ni magnus & terribilis appellatur. Idem vero tam patres
quam filios pariter admonebit, ut ex animo verissimisque
affectionibus ad Deum Optim. Max. penitentia duce con-
uertantur. Qui igitur resipiscientia anteactæ vitæ ducti
redibunt, à iudicio immunes futuri sunt. Atque hoc illud
est, quod ait: is reducet cor patrum in filios, id est, vñā
cum filiis: & cor filiorum in patres, id est, vñā cum pa-
tribus eorundem, perinde ac si utrosque simul, tam patres
quam filios eum reducturu dicat: ne veniam, & terram*

C prorsus

C O M M E N T A R I I K I M H I

prorsus excindam. Ideò eos admonitos dabit, ut resipiscientiam prioris vitæ agant in aduentum illius diei, ne forte uniuersus orbis anathemate percussus, in nihilum planè redigatur. Qui eius admonitioni nequaquam morigeros sed dictoque audientes præbebunt, aut pius inter vastissimam gentium solitudinem, aut post aduentum illius iudicij, in Israëliticis finibus, ad internacionē usque delerbuntur. Ceterū qui monitis eiusdem obtemperauerint, splendebunt ut splendor firmamenti: & qui multos ad iustitiam adduxerint, ut stellæ sempiternis temporibus, ad omnem usque æui aeternitatem.

Laus, honor & gloria Deo patri & filio, & spiritui sancto: qui lasso vires impertit, & robore non valenti, robur abunde supereditat. Amen.

E X P L I-

EXPLICATIO EORVM QVAE

ad rem Grammaticam pertinent in Commentariis Rabbi Dauidis Kimhi in Haggæum: vbi paginæ lineæque ratio ea habetur, quæ in Hebraïca æditione à Roberto Stephano Lutetiaæ Parisiorum impressa vñalis extat.

Aleph hic auditur, sonóq; suo minimè deſtituitur, quæ Pag.3.lin.20; tamen aliàs in eadem dictione obmutescit.

In dictione pahath accentus ultimam occupat, & est Pag.3.lin.23; status ille qui syntactica vocum cohærentia ſue regimen à grammaticis appellatur, à radice pähah. vocis eadem ſignificatio est quæ ducis aut principis.

He litera punctulo pathah insignitur, & interrogatio Pag.4.lin.19; ni inferuit.

Participij illius vis quod hic Hebraicum habes, continuationem significat & cælaturam: quo eodem modo ſumitur Deuteronomij 33. vbi ait: Principis portio contecta. Itidem Hieremias 22. Et tectum, inquit, cedro.

Deficit hoc loco beth litera ministerialis, ut aliàs itidem deficere ſolet Numer.12. Aperta facie, & non in ænigmate: præterea 2. Regum cap.12. Quæ inueniebatur, inquit, domo domini, pro eo quod debebat esse in domo domini, aliisque id genus locis.

Pulmenti nomine significatur id quod coctum est. quod idem vocabulum occurrit Genes. 25. vbi illud legitur: Et coctionem lentium, &c.

Lapis ad lapidem, id est, ſuper lapidem. æquè ac Ezechiel.18.dicitur: Ad montes non comederit: pro eo quod est, ſuper montes: & quæ ſunt id genus alia loca.

C ij Vt

Pag. 11. lin. 8. Ut hauriret. Hauriendi vocabulo in eadem significatio utitur: qua & Esaias c. 30. qui ait: Et hauriatur aqua de fovea: id est, sumatur aut subducatur. Torcularis itidem hic meminit: ut idem propheta cap. 63. illis verbis: Torcular calcaui solus: intelligens nimirum contusionem expressionemque uarum, quae fit adhibito torculari.

Pag. 11. lin. 13. Articuli &c. significatio pro præpositione in aut cum sumi debet: ut Iehosuæ 22. ubi ait: Nobiscum nolite contendere.

Pag. 11. lin. 14. Nec tamen vobiscum, &c. etiam si haec ita se habeant: vos tamen vosmetipso ad me non recipitis. Qualis & illa loquendi phrasis est, quæ Numerorum 6. occurrit, ipse se recipiat. & Ezechielis 37. Pastores ipsimet seipso pascunt: aut hic potest esse sensus: Evidem adhuc non video vos ad me conuersos.

In Zachariam prophetam.

Pag. 7. lin. 1. Deest hoc loco regimen sine Nismak, ut græmatici loquuntur, ut hic sit sensus, sermones ab eo huiusmodi habitos fuisse, quales solatium adferre possint, aut (quod rectius putauerim) formæ nomen erit, & vox concreta.

Pag. 7. lin. 23. Niham punctulo pathah insignitur: & est formæ conjugationis piel, quæ dagheffata appellari solet.

Pag. 8. lin. 15. Fabros opifices vocat, ut Esaias cap. 44. ubi fabri lignarij meminit.

Pag. 8. lin. 22. Kephi, tantundem valet, ac si dicas, ita ut, aut eò usq; quæ eadem particula Exo. 16. occurrit in illis verbis: Quis que ita ut vesci poterit, &c.

Pag. 9. lin. 1. Lamod infinitiuus est à themate madad. eiusdem formæ cuius laros, Ezech. 46. ubi legitur. Ad commiscendum similam:

similam: & sov. Deuteronomij 2. ubi ait: Satis circuistis montem istum, &c.

Coniunctionis vis quam hoc loco Hebraicè habes, non Pag. 10. lin. 3.
absimilis est ei quæ Psalmo 77. occurrit: Consopus est &
currus & equus. Intelligit autem nonnihil deesse: perinde
ac si diceret: Agite vero, exite & fugite, &c.

Has, idem est quod file aut conticesce Latinè dicitur, ut Pag. 11. lin. 3.
superius quoque indicaimus.

Neor, vocis est passiuæ, ex ea verborum classe, quorum
media litera quiescere dicitur: eiusdem formæ, cuius sunt
nauon & nakon, nisi quòd hæc cametz insigniantur, il
lud zere punctum habeat.

In dictione vaiaad, ain literæ pathah substernitur, quia Pag. 12. li. 24.
ex ordine gutturalium censetur. Alioqui formæ illius esse
debebat: eodemque modo efferri vaiaæd cum sægol, quo
vaiaschæv exprimitur Genes. 14. ubi legitur: Et reduxit
omnem substantiam.

Venathatti, coniunctiuæ particulae vis eadem est cum Pag. 11. li. 26.
ea quæ Deuter. 19. legitur: Et accidit die tertio. Itidem Ge-
nes. 22. Et sustulit Abraham oculos: ubi temporis dūtaxat
commutandi rationem obtinet, non copulandi.

Auferendi verbum hoc loco actionis in aliud quidpiam Pag. 13. li. 26.
emittendæ vim habet: quod idem tamen intransitiuè sumi-
tur Numerorum 14. ubi ait: Arca fœderis & Moses non
recesserunt.

Icor coniugationis est niphah, formæ passiuæ. Pag. 14. lin. 7.
Item dictio ea quæ discum sine lenticulâ Hebraicè ex- Pag. 14. li. 10.
primit, tametsi punctulo mappik insigniatur, ad tertiam
tamen fæmininam referri non debet: cuiusmodi & illæ di-
ctiones sunt, quas habes Esa. 28. ceu præcox aliquis fructus

C iiij ante-

anteuertens æstatem, & Iobi 28. Et rem abstrusam profert
in lucem. Itidem Ezechielis 22. Tu terra es non compluta
imbre in die furoris.

Pag. 14. li. 20. Muzakoth concreta vox est abstractæ loco posita: ex
eo scilicet, quod è lucerna lucernæ oleum infunderent.

Item quod ad sinistram Hebraicè dicitur, idem est ac
si sinistram versus dixisset: nisi quod supra lenticulam priùs
ea fuisse dixerit. ac deinde à dextra quidem candelabri, &
à sinistra lenticulae, qui sensus tamen in idem recidit.

Pag. 16. li. 20. Analogæ sunt inter se iitzar & schemen. Illud aequè
atque hoc oleum significat: ut constat Deut. 28. Frumen-
tum, vinum, iitzar: nempe oleum.

Pag. 17. li. 15. Alah idem est quod execratio seu maledictio.

Pag. 18. li. 18. Kicchar, quæ vox Hebraica massam vel talentum si-
gnificat, ad fæmineum genus spectat, ut Exodi 29. habes,
Massa panis una. & 2. Regum 5. Decem talenta argenti.
Item os ipsius ad fæminam propriè pertinet. Item impieta-
tis nomen quod hic occurrit, vel abstractum esse potest, vel
concretum.

Pag. 19. li. 24. In lah he litera leni & aperto spiritu sine ulla contra-
ctione effertur.

Pag. 19. li. 29. Dictio illa Hebraica Hunnihah, quæ hoc loco occur-
rit, composita est partim ad passiuam, partim ad actiuam for-
mam accidens hiphil & hophal à grammaticis appella-
tas. Ratio compositionis huiusmodi esse potest, quoniam
cū primū eō migrarunt, inuitis quidem & præter vo-
luntatem id illis acciderat. Sed ipsimet postea sedes sibi eo-
dem in loco collocarunt, id est, suapte sponte & ultro morem
ibi traxerūt, deposito interim per socordiam Hierosolymam
repetendi studio.

Accipe

Accipe ex captiuis. Modus hic apud Hebreos alter Pag. 22. li. 20:
alterius loco ponitur, infinitius pro imperatiuo. id quod idē
fit Hieremiæ 2. Eundo dices, &c.

Et facies. Accentum huic loco deseruientem (cui scho- Pag. 23. li. 10.
phar nomen est) in ultimā Nephthalitæ reiiciunt, Asthe-
ritæ verò penacuant. quibus & nostra lectio consona re-
peritur.

Coniunctionis Hebraicæ, quam vau litera hoc loco ex- Pag. 24. li. 6.
primit, vis & significatio eadem est cum postquam, ut hic
sit sensus, Postquam miserat populus in domum Dei, quem-
admodum & Esaiæ 64. En tu iratus es postquam nos pec-
cauerimus. & Leuit. 9. Postquam descenderat peracto sa-
crificio, aliisque id genus locis.

Lamed in dictione lebeth, quasi in æde domini signi- Pag. 24. li. 14.
ficat. quo modo & Ionathan vertit. nempe qui ministerio
funguntur in æde dominica.

Hinnaser modi est infinitiui.

Pag. 24. li. 20.

Quod ad huius verbi rationem grammaticam attinet, Pag. 25. li. 16.
quo illos se proturbaturum ait, difficultate non caret. Non-
nulli formæ compositæ esse putant, partim actiua, partim
passiua. Cæterum actiuan hoc loco significationem habere
videtur, quanquam alias verbum intransituum inuenia-
tur: ut author est obseruandæ piæq; memorie pater idem, ac
dominus meus in hanc sententiam: Evidem disiiciam eos,
& unâ cum illis ipse disiiciar. qualis est & illius loci sen-
sus Esaiæ 35. Lætabuntur desertum & solitudo. cuius in-
terpretatio tantudem valet, ac si dicas, Lætabitur unâ cum
illis. Punctorum verò vocalium ratio mutata est, quum
æsaarem, non æfrem, pro communi more posuit: quò litera
ain apriori sono dilataretur, minórque voci asperitas in-
effet.

esset. unde adeò factum est, ut protractionis dilatationisq; maioris causa, litera aleph, zere vocali, samech vero cametz insignirentur. Estq; illud rationi consonum, ut actiuè verbum interpretetur. videoas enim unum idemq; verbum nunc actiuè, nunc intransitiuè sumptum. Iudicum s. ubi ait: Contusæ sunt vngulæ equorum. Halam verbi significatio transiudi vim nullam habet. At idem Proverbiorum 23. actiuè sumitur: quo loco ait, Verberarunt me, sed non sensi, &c.

Pag. 29. li. 27. Mischpat hoc loco quum syntacticis ponatur, & sequenti dictioni adhaereat, pathah punctulo insignitur.

Pag. 32. li. 30. Tæræ, videndi verbo accentus infra ascribitur & ultimam possidet.

Pag. 33. lin. 13. In mebbatah, mem litera præter morem punctulo sexgol insignitur. Pudefendi vocabulo erubescens quædam & pudebunda vultus perturbatio exprimitur.

Pag. 33. li. 21. In dictione Mamzer utrumque mem paragogicis adiicitur, quæ admodum & in illa dictione, quæ horreum Hebraicè significat, nempe mammegorah, cuius usum habes Ioëlis 1. Vbi excisa sunt, inquit, horrea, &c. In dictione mitzovah, he litera loco aleph ascribitur.

Pag. 34. li. 7. In verbo gili accentus in ultimam reiicitur. Noscha pathah punctulo insignitur, & est temporis præteriti loco futuri, propter vau hippuk præpositum.

Pag. 36. li. 12. Mithnosefot, idem hoc loco valet, quod subleuati, cuius verbi significatio eadem occurrit Psalmo 60. Sustulisti timetibus te signū, unde etiam sit ut signum pro elevatione ac rei alicuius in eminentiorem locum subducendæ significazione ponatur. Eleuat enim vexillum signifer, & populo conspiciendum supra verticem proponit.

Quod

*Quod ad generis mutationem attinet, quæ in Hebraico Pag. 39. li. II.
verbo veavar occurrit, masculinū pro fæminino, angustum
quid, loco angustiæ intelligi voluit.*

*In batzir exprimitur quidem inter scribendum vau li. Pag. 39. li. 34.
terea, prolatio vero ad iod accedit: quum utrinque tamen
significatio sit eadem.*

*In verbo vaeschir, aleph vocali puncto deſtituitur, & P. 40. li. 28.
ſono caret. Vau coniunctiva particula pathah afficitur, &
ain literæ ſcheua ſimplex. i. alia nulla vocali adiutum ſub-
ſternitur.*

*In dictionibus illis, quæ alteri & alteri Hebraicè reſpon- Pag. 42. li. 8.
dent, utrobius pathah ponitur, quum nulla tamen ibi fit
ſyntactica vocum cohærentia: id quod præter morem acci-
dit, niſi quòd pauca duntaxat eiusdem formæ reperiantur.*

*In lehapher, zere puncto locus eſt, vna cum iod litera Pag. 43. lin. 1.
protractionis cauſa addita.*

*In dictione æuili, iod litera propriæ nominis formæ at- Pag. 45. li. 31.
tribuitur, æquè ac in aczeri, quo vocabulo crudelis & im-
mitis significatur.*

*In rhoi metathesis quædam eſt literarum, iod loco he, Pag. 46. li. 4.
quemadmodum & Eſaiae 38. Sicut tuguriolum, inquit, pa-
ſtoris, &c. In fine participij quod poſteā habes. Hozeui,
eadem litera iod paragogicō adiicitur: ut alias fieri ſolet,
Genes. 49. Ligans ad vitem pullum ſuum. & Eſa. 22. Exci-
derat ſibi ſepulchrum excelsum. aliisque id genus locis.*

*Quod onerosum ac graue hic dicitur, ab eo verbo origi- Pag. 47. li. 10.
nem habet, quod Genes. 44. in eundem ſenſum legitur: Et
onerarunt rurſus ſinguli asinos ſuos. Itidem Nehemiae 13.
Vidi Iudeos inferentes manipulos frugum, onerantesque
afinos: cuius significatio ad onus propriæ & grauitatem ex-*

primendam pertinet.

Pag. 47. li. 23. Forma nominis atzmah eadem est cum avlah, cayrah,
anvah & schalvah.

Pag. 49. li. 21. In mispad, syntactica vocis coherentia, qua cum seq. di-
ctione coniungitur, in causa est, quod pathah punctulo affi-
ciatur.

Pag. 51. lin. 6. In infinitivo behinnabeotho, tau litera paragogicas
adiicitur. aequae ac in Talmud legitur: An non vel uno solo
verbo creare potuit? &c.

Pag. 52. li. 22. Duæ partes in Hebreo dicuntur, una duarum, siue pars
duarum partium.

Pag. 53. lin. 13. Naschassu verbum est ex eorum ordine, quæ alteram
radicis geminant, nempe schasas: cuius verbi usum habes
Esaiæ 42. Quis tradidit Iacob, ut diripiatur? Significatio
eiusdem ad prædam agedam bonorumq; direptione pertinet.

Pag. 53. li. 28. Quod bellum Hebraicè dicitur, ei Chaldaicè congressus
respondet, tum hic, tum Genes. 14. ubi eiusdem vocabuli
usus occurrit. Itidem Ecclesiastis 9. ubi ait sapientiam præ-
pollere instrumentis belli. & quæ sunt his similia loca per-
multa.

Pag. 54. li. 16. Harai hoc loco pro harim dixit, quemadmodum iadai
pro iadim Ezechielis 13. halonai pro halonim Hiere. 22.
haschuphai pro haschuphim Esa. 20. & quæ sunt id ge-
nus alia: quemadmodum in grammatica Michlol à nobis
ædita perscrispimus.

Pag. 56. li. 23. Aleph, quam habes in verbo raamah, loco vau secun-
dæ radicalis positam, sono vocali nequaquam destituitur,
eiusdem scilicet formæ cum eo verbo quod habes Hoseæ 10.
ubi ait: Surget igitur tumultus in populo tuo, &c. nisi p
eo loco aleph obmutescat.

In Ma-

In Malachiam prophetam.

Vau litera, quam in Hebraico verbo vauasur hic ha- Pag. 2. lin. 9;
bes, eiusdem formæ est cum ea quæ Genes. 22. occurrit, ubi
illud legitur: Et sustulit Abraham oculos suos. aliisq; id ge-
nus locis in quibus copulæ vim nullam obtinet. Jonathan ta-
men eadem interpretatione sua præmissa, cuiusdam verbi
intercalatione expressit, hunc in modum: Si dixerint Idu-
mæi, ad paupertatem quidem redacti sumus, sed auctiores
iam erunt res nostræ, & reuertemur: hæc loca diruta in-
staurabimus, &c.

In verbo veserithi accentus penultimam occupat. cuius Pag. 8. lin. 5;
forma hoc loco ad secundam actiuorum inflexionem spectat,
quæ dagheffata, id est, piel à Grammaticis appellari solet:
usus eiusdem Hiere. 31. occurrit, ubi ait: Qui disperserat
Israelem, colliget eum.

Pæresch hic simum animalium significat. æquè ac Exo. Pag. 8. lin. 6;
23. ubi dicitur: Et stercus eius.

Lamed hoc loco literæ mem seruili adiuncta eandem Pag. 14. li. 23;
vim habet, quam 1. Reg. 6. Quare induratis cor vestrum,
quasi è longinquo. Itidem Hieremias 7. In terra quam dedi
patribus vestris à seculo in seculum.

Phischtem, quod hoc loco verbum occurrit, eiusdem for Pag. 17. li. 18;
mæ est, cuius chamtem, quarti scilicet ordinis verborum,
nisi quod hic hiric punctulo insigniatur. Fuerat verò inte-
grè dicendum Vphischtem, expressa vocali longa, nempe
hiric iod. id quod in ea dictione fieri solet virischtem
quam habes Deuteronomij 11. Sed interim dum media ra-
dicalis litera decidua suo loco pellitur, eius vocale punctum
in primam reuicitur.

R A B B I N I C A S E O R S I M
huc in finem totius operis
reiecta.

Ex Zacharia.

Pag. 13. li. 14. Quaritur porrò hic rursus de nomine ipso Messiae, quod illi consolator imponendum est. At enim uero si arithmeticam literarum vim & analogiam utriusque dictio nis expendas, menahem & isemah cundem numerū efficient.

Pag. 13. li. 28. Maiores porrò nostri (quos faustum felixque sit hoc loco nominasse) ita verba illa, in templo domini, inter homilias suas interpretati sunt, ac si coronae illic repositae fuerint, ubi semel Zorobabelis atque Iehosuæ capitibus impositæ fuissent. Ad hunc enim modum habetur in eo tractatu qui de mensuris inscribitur, catenulas quasdam ex eodem hoc auro confectas in ipsa vestibuli contignatione affixas fuisse, sacerdotalibus flosculis ornatas, paululum quid emergentes, vultuque obuerso coronulas fenestris impressas intuentes, atq; hoc illud esse quod in præsentiarum hoc loco significatur, ubi ait: Coronæ autem erunt in templo domini ad monumentum ipsi Helem Tobiæ & Iedaïæ, & item filio Tsephonioæ.

Pag. 31. li. 12. Fertur autem & huiusmodi quid in homiliis, in hæc verba: Apprehendent deni viri ex omnibus linguis gentium. Enim uero septingenti viri singulis earundem quatuor ocarum alis inhærebunt.

Pag. 31. li. 24. At enim uero quod ad Hadrach attinet (cuius hic nominis mentio occurrit) tale quid à maioribus proditum de eo inuenimus. Autor est Rabbi quidam Iudas, Messiam hoc loco intelligi, quippe qui durus ac rigidus gentibus futurus

turus sit, Israëlitis verò mollis ac tener. Cui vicissim respon-
det alius quidam Rabbi Iosai Dornaschites, in hanc ferè
sententiam: Ecquis tandem tibi finis erit, ô bone vir, sacras
literas ita nobis peruertendi? Evidem, quod ad me attinet,
calos terrāmq; testor, me Damasco oriundum esse, locūmq;
quendam ibi reperiri, cui Hadrach nomen inditum fit.
Quid tum ergo, inquit alter ille, mihi quidem nequaquam
difficile erit ex eo loco qui inscribitur: Et Damascus re-
quies eius, probare aliquando futurum, ut vrbs Hiero-
solymitana Damascum usque protendatur, quemadmodum
iam dicta illa verba præ se ferre videntur: Et Damascus
requies eius. Requies autem eius alia quam vrbs Hiero-
solymitana nulla est, eodem ipso teste, qui Psalmo 132. ait:
Hæc requies mea in omnem æternitatem. Quin & illud
eidem rei fidem facere videtur, quod Hieremias ca. 30. nar-
rat: Et ædificabitur ciuitas super acernum suum. At qui mi-
nimè, inquit, è loco suo mouebitur. Tum alius vicissim. At
enim à me facere & illud videbitur, quod Ezechielis 41.
habetur in eandem sententiam: Dilatabatur & circum-
bat sursum. quasi latitudini vrbis Hierosolymitanae ali-
quid accessurum, & undeque eadem in maiorem alti-
tudinem erienda foret, eo modo quo in vite fieri solet, cuius
quam infernæ partes angusta sint, superiores latissime pa-
tent, ac proinde futurum est, ut vrbs Hierosolymitane por-
tae Damascum usque pertineant. In quem eundem sensum
& illud Cant. 7. dicitur: Facies tua similis est turri Liba-
ni, quæ versus Damascum spectat, eodem verò exules se
recipiunt, & castra in medio illius metantur, æquè ac ver-
ba illa innuere videntur: Damascus requies eius, &c.

Caterūm à maioribus nostris (quorum memoria nobis Pag. 33. li. 19.)

D iij in

in honore esse debet) proditum videre est, Eliam aliquando
nonthos huiusmodi & spurios homines emundaturum, & disq;
dominicæ communis societati restituturum.

Pag. 44. li. 15. Vnde & illa vocabula apud maiores nostros in usu esse
cœperunt (quos hic fælix faustumq; sit nominasse) pagah,
bohal, isemel, quorum primo pubertatis annos intelligunt:
secundo nempe bohal filiam maturam ac grandiorem ex-
primunt, quippe quæ nauicem pariat, & patri minus sit chara.
Per isemel eam intelligunt quæ iam adultior est, etateq;
Lea prouectior, & nubiles annos egressa, utpote quæ tan-
diu domi desederit, ut de ea locanda pater spem omnem
iam deposuerit.

Pag. 51. li. 25. Cæterum pater, idem ac dominus meus colendissimus
(cuius memoriam omni veneratione amplector) de eo tem-
pore hæc verba interpretatur, quo futurum est, ut defuncto-
rum manes rediuiui, vitali auræ restituantur. Ait enim in
resurrectione ea quæ aliquando futura est, ut Danielis 12.
scribitur: Dormientium terra puluerulenta, alios quidem
ad vitam æternam euigilaturos nempe iustos & pios, alios
autem ad probra & contemptum æternum: putâ eos qui ar-
ticulos fidei, & resurrectionem è mortuis pernegant. Verum
qui medio inter hos loco erunt, nempe qui articulos haud-
quaquam pernagarunt, mendacij quidem autores, quod ipsi
sibi per insomnium finxere, & prophetici munieris occupa-
tores, adeò ut suo ipsorum instinctu vaticinium ediderint,
sed ab idolatriæ tamè cultu immunes, manus illi quidem
plagarum vestigiis liuidas habituri sunt, quasi scabie ali-
qua in putulentum ulcus erumpente. Atque hæc erit illius
laboris merces, hæc pœna falso ementia vaticinationis, ut
ab imperita multitudine dignosci possint, & pudore suf-
fundit,

fundi, quemadmodum huius loci verba præse ferre videntur: Pudefient quisque à visione sua, quam vaticinio suo edidit: falso nempe vaticinio, cuius ille prioribus sæculis author fuerat.

Cæterum in iis quæ à maioribus nostris prodita reperiuntur, quæri solet, unde id tandem factum sit, quod metfilloth phaleras equorum, quasi adumbrationes dixerit, Respondet huic Rabbi quidam Iehosua Leuites, Deum Opt. Max. tantiſper Israëlitis aliquid additurum, dum equo currenti umbra oboriatur, id est, ad meridiem usque, quo tempore equus ipsem suō sibi loco umbram efficit.

Ex Malachia.


Aut Eliam fortasse angelum fœderis vocat: quo modo Pag. 14. lin. 1.
& in scholiis aggheda dictis legitur Eliæ ardentiſimo stu-
dio, ac miro quodam zelo olim flagrante erga fœdus circun-
cisionis quod apud regnum Ephraimitarum aboletum fue-
rat: ita ut 3. Reg. 19. scribitur: Zelo magno zelatus sum pro
domino Deo exercituum, eo ꝑ filij Israël fœdus tuum de-
reliquerint. Illi vero vicissim responsum est: Zelo tu qui-
dem iam olim in Sittim affectus es: & hic etiam magno stu-
dio circumcisionem prosequeris. Vnde id tandem? quia scili-
cet Israëlitæ circumcisionis fœderi nequaquam respondeant:
usque dum tu præsens rem omnem oculis hauseris. Quocir-
ca decreto apud eos inito thronum insignem Eliæ erigebant
illius ætatis homines: unde & angelus fœderis appellatus
est, æquè ac loco præsenti dicitur: Et angelus fœderis,
quo vos delectamini, ecce venit, dicit dominus exer-
cituum, &c.


Maiores porro nostri (quorum nobis veneranda memo. Pag. 17. li. 21.
ria esse


ria esse debet) eo plane sensu hæc verba interpretantur,
quem litera ipsa præse fert: nempe de Sole, in hanc ferè sen-
tentiam: Non est futura posthac alia ulla gehenna (ut au-
thor est Rabbi quidam Resch Lechis) sed Solem è recepta-
culis suis in medium educturus est Deus Opt. Max. iu-
stiq; ac pīj homines eo sanabuntur: pro eo ac verba illa in-
nuere videntur: Orietur vobis Sol iustitiae, qui time-
tis dominum, sanans radiis suis. Ceterū impij eo-
dem illo Sole prorsus perituri sunt, quemadmodum mox ait:
Ecce dies ille venit, ardens ut cibanus, tum erunt
omnes arrogantes stipula, &c.

FINIS.

OCN 776 762269







charles 218 - lugdina 13 211

rigentia tach. Antp nec ac
mendat giam ac et nunc et
enit suffitent. Ad suffitent.
nobis insuffitum facit mactam.

rament. dñmto dñmto
n. doy hir op al dn magna
dment ei augtut. qsp no ei hi
magratidone macta opz et al

2346-5

Ex p. 2346-5. In folio 2346-5, there is a large, faint watermark or background illustration of a figure, possibly a saint or a personification of a virtue, standing on a rocky ledge or mountain peak. The figure appears to be holding a long staff or a scroll. The background of the page is heavily stained with greenish-yellow water damage, particularly along the right edge and bottom. The text is written in a Gothic script, with some words underlined. The page number 2346-5 is handwritten in the bottom right corner.

